

PROPRIUM ORDINIS PRÆDICATORUM

RITUALE

PROFESSIONIS RITUS



AD SANCTÆ SABINÆ 1999

ROMÆ

PROPRIUM ORDINIS PRÆDICATORUM

IV

RITUALE

PROFESSIONIS RITUS

ad mentem novi iuris liturgici instauratus

auctoritate Rev.mi Patris Fr. TIMOTHEI RADCLIFFE

eiusdem Ordinis Magistri

exaratus

eiusque iussu editus

EDITIO TYPICA

AD SANCTÆ SABINÆ

ROMÆ 1999

INDEX GENERALIS

Decreta Congregationis pro Cultu Divino	
et pro Disciplina Sacramentorum	7
Litteræ promulgationis Magistri Ordinis	9
Abbreviationes et sigla	13
Introductio generalis	19

PARS PRIMA

ORDO RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS FRATRUM

Caput I : Ritus receptionis novitiorum	32
Caput II : Ritus professionis simplicis	41
Caput III : Ritus professionis sollemnis intra missam peragendus	51
Caput IV : Ritus renovationis votorum temporariorum	
intra missam peragendus	61
Caput V : Missa in xxv vel L anniversario professionis	64

PARS SECUNDA

ORDO RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS MONIALIUM

Caput I : Ritus receptionis novitiarum	70
Caput II : Ritus professionis simplicis	78
Caput III : Ritus professionis sollemnis intra missam peragendus	88
Caput IV : Ritus renovationis votorum temporariorum	
intra missam peragendus	98
Caput V : Missa in xxv vel L anniversario professionis	101

ADNEXUM

ORDO RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS IN INSTITUTIS VITÆ CONSECRATÆ

Caput I : Ritus receptionis novitiarum	108
Caput II : Ritus professionis temporariæ	117
Caput III : Ritus professionis perpetuæ intra missam peragendus	129
Caput IV : Ritus renovationis votorum temporariorum vel promissionis intra missam peragendus	139
Caput V : Missa in xxv vel L anniversario professionis	142

PARS TERTIA

ORDO RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS IN FRATERNITATIBUS S. DOMINICI

Caput I : Ritus receptionis candidatorum	147
Caput II : Ritus professionis	161

APPENDIX

I. Lectiones biblicæ	175
II. Oratio universalis seu fidelium	182
III. Præfationes	189
IV. Textus ad libitum	
A) Litanie Sanctorum in professione perpetua	193
B) Sollemnis benedictio seu consecratio nuper professorum .	198
V. Declaratio et protestatio pro admissione ad Ordinem vel ad Institutum	207
VI. Formula absolutionis generalis de transgressionibus regulæ .	208



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DECRETA

Ordinis Fratrum Prædicatorum

I

Prot. 1191/97/L

Instante Reverendo Patre Chrys Finn, Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicario, de mandato eiusdem Magistri, litteris die 12 mensis iunii 1997 datis, vigore facultatum huic Congregationi a Summo Pontifice IOANNE PAULO II tributarum, Rituale Professionis, iure particulari servato ad normam n. 80 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*, iuxta exemplar lingua latina exaratum et huic Decreto adnexum libenter probamus.

In textu imprimendo inseratur ex integro hoc Decretum, quo ab Apostolica Sede petita approbatio conceditur.

Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 25 mensis martii 1998, in Sollemnitate Annuntiationis Domini.

GEORGIUS CARD. MEDINA E.
Præfectus

✠ GERARDUS M. AGNELO
Archiepiscopus a Secretis

II

Prot. 25931/97/L

Instante Reverendo Patre Chrys Finn, Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicario, de mandato eiusdem Magistri, litteris die 12 mensis iunii 1997 datis, vigore facultatum huic Congregationi a Summo Pontifice IOANNE PAULO II tributarum, *Ordinem receptionis et professionis sodalium fraternitatum clericorum vel laicorum S. Dominici*, iuxta exemplar lingua latina exaratum et huic Decreto adnexum, libenter probamus.

In textu imprimendo inseratur ex integro hoc Decretum, quo ab Apostolica Sede petita approbatio conceditur.

Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 29 mensis aprilis 1998, in festo S. Catharinæ Senensis, virginis et Ecclesiæ doctoris.

GEORGIUS CARD. MEDINA E.
Præfectus

+ GERARDUS M. AGNELO
Archiepiscopus a Secretis



NOS

FR. TIMOTHEUS RADCLIFFE O.P.

S. THEOLOGÆ PROFESSOR

AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM

HUMILIS MAGISTER ET SERVUS

Litteræ promulgationis Magistri Ordinis

Professionis ritum Ordinis nostri nuper a Sede Apostolica approbatum seu confirmatum universis Familiæ Dominicanæ cœtibus adhibendum libentissime trado, uberem ad Ordinem vocatorum multitudinem implorans, qui "suam et aliorum salutem procurare cupientes"¹ vitam amplectantur evangelicam ac Verbi Dei prædicationi vacent, propter quam nosmetipsos devovemus.²

Post *Proprium Officiorum* (1982) atque *Missale et Lectionarium* (1985), hic *Ritus professionis* sectio magni momenti exstat *Ritualis* quod est pars *Proprii O.P.* Prout nempe a novo iure liturgico præcipitur, ad *Ordinem Professionis Religiosæ Romanum* hic liber constanter refertur, eius elementa sibi aptans illa libertate adhibita quæ singulis religiosis familiis relinquitur.³ Ordo igitur noster hæc præsertim fovere contendit: simplicitatem rituum - absque litanis aut orationibus "benedictionis seu consecrationis" professorum - vim consecratoriam ipsi actui professionis propriam,⁴ textuum ac monitionum additionem quæ ex primæva antiquitate Ordinis vel ex nonnullis recentibus documentis ipsius Ordinis repetita sunt.

¹ LCO, n. 1, *Const. fund.*, § II.

² Cf. MO T. Radcliffe, *Litt. ad Ordinem "Votati alla missione"*, Pasqua 1994.

³ SCCD, *Indicationes pro Ordine professionis religiosæ aptando* lingua Francogallica publici iuris factæ, die 15 iul. 1970: "Notitiæ" 6, 1970, pp. 319-322 = EDIL I, pp. 697-701.

⁴ Cf. P.-M. Gy, *Sur le caractère consécatoire de l'acte même du voeu solennel dans la théologie de Saint Thomas d'Aquin*, AOP 1998, oct.-dec.; V. Romano, *Indole e valore della Professione domenicana*, "Eco di S. Domenico", Numero speciale, dicembre 1996.

Exinde ritus professionis nobis proprius seu peculiaris traditio quæ essentialiter usque ad sancti Dominici tempora pertingit, Vaticani Secundi orientationibus adhibitis ritus plene liturgicus efficitur: primæva enim celebratio capitularis⁵ - sua peculiari structura prædita - nunc Eucharistiæ celebrationi vel saltem actioni liturgicæ coniuncta, in ecclesia peragitur. Actio itaque ecclesialis efficitur, in qua cuiusque fratris vel sororis oblatio cum illa ipsius Christi oblatione intime coniuncta invenitur.

Hæc sectio Ritualis nostri peculiari studio confecta est, specialis nempe laboris investigationis historicæ et liturgicæ atque consultationis universæ Familiæ Dominicanæ cœtuum.⁶ Multi utriusque sexus periti una cum Commissione liturgica Ordinis adlaboraverunt et ipse - ut Ordinis Magister - omnia laboris itinera sollerti cura sum prosecutus.

Uno quidem volumine hic *Ritus professionis* non solum fratribus et sororibus vitæ consecratæ præbetur, sed sub specie vitæ evangelicæ - ab ipso *incipit* «Introductionis generalis» memoratæ - etiam ad laicos, sacerdotes et diaconos Fraternitatum Sancti Dominici pertinet. Una igitur Introductione illustrantur lineamenta formulariorum receptionis et professionis, quæ quidem elementa fundamentalia omnibus cœtibus Ordinis communia continent. Ex quattuor autem sectionibus huius voluminis sua quæque Fratribus, Monialibus, Sororibus necnon sodalibus Institutorum Sæcularium et Societatum Vitæ Apostolicæ, Laicis et ceteris sodalibus Fraternitatum S. Dominici est dicata.

Hic igitur *Ritus professionis*, qui pars est *Ritualis* in *Proprio Ordinis Prædicatorum* comprehensi, editio typica a me declaratur pro Fratribus, Monialibus et sodalibus Fraternitatum Sancti Dominici. In adnexo autem Ritus proponitur pro Sororibus et ceteris sodalibus Institutorum vitæ consecratæ Ordini aggregatorum, secundum determinationem Capituli generalis Tallaghtensis (1971),⁷ sicut *Cæremoniales* prædecessoris mei fr. Martini Stanislai Gillet⁸ iisdem fuit præbi-

⁵ Cf. *Processionarium S.O.P.*, ed. MO E. Suarez, Romæ 1949, pp. 156-158.

⁶ Cf. V. Romano, *Il Rito della Professione O.P.*, [nn.14-15], AOP 1998, oct.-dec.

⁷ ACG 1971, n. 172: «Committimus Magistro Ordinis, ut opportune provideat de adaptatione ritus vestitionum et professionum apud moniales et sorores Ordinis nostri, ad unitatem liturgiæ Ordinis universi fovendum».

⁸ Cf. *Cæremoniales iuxta ritum S. Ord. Præd. de Receptione ad habitum et de Professione tum temporaria tum perpetua pro Monialibus eiusdem Ordinis et Sororibus Tertii Ordinis Regularis* (ed. minor), Roma 1930.

tum et Decretum Sedis Apostolicæ de supplementis Ordinis ad *Litur-
giam Horarum* et ad *Missale Romanum* ea adhibenda etiam a Sorori-
bus prævidit,⁹ veluti elementum magni momenti circa cuiusdam
Instituti aggregationem ad Ordinem.

Translationes et aptationes huius *Ritus professionis* pro diversis
regionibus linguisticis conficiantur iuxta normas Sedis Apostolicæ
necnon et indicationes iam pro ceteris partibus *Proprii* nostri allatas¹⁰
vel hic infra in «Introductione generali» traditas.¹¹

Præstet Dominus ut in nostra communi vocatione et missione
unanimes proficiamus, qui unica professione eius mancipamur
sequelæ.

Datum Romæ, e Curia nostra generalitia, die 25 mensis martii, in
sollemnitate Annuntiationis Domini, anno Domini 1999.

Fr. Timothy RADCLIFFE, O.P.
Magister Ordinis

Fr. Vincenzo ROMANO, O.P.
Præsidentis Commissionis liturgicæ Ordinis

Prot. N° 66/99/556

⁹ Decretum approbationis "Officiorum" *Proprii O.P.* (Prot. CD. 671/76), in LHOP,
p. VI.

¹⁰ Cf. *Translationes Proprii O.P. linguis vernaculis*, in LHOP, «Intr. gen», nn. 72-79,
pp. LX-LXIII.

¹¹ Cf. infra, nn. 19-23.

ABBREVIATIONES ET SIGLA

- AA Concilium Vaticanum II, Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam Actuositatem*, 18 nov. 1965: AAS 58, 1966, pp.837-864.
- AAS "Acta Apostolicæ Sedis", Romæ 1909 sqq.
- ACG "Acta Capitulum Generalium Ordinis Prædicatorum"
- ACG I "Acta Capitulum Generalium Ordinis Prædicatorum", vol. I (1220-1303), ed. B.M. Reichert, Romæ 1898 (= MOPH III).
- AFP "Archivum Fratrum Prædicatorum", Lutetiæ Parisiorum, Romæ 1931 sqq.
- AG *Antiphonarium S.O.P.*, ed. S. Gillet, Romæ 1933.
- AGOP Archivum Generale Ordinis Prædicatorum, Ad S. Sabinæ, Romæ.
- ASOP [AOP] "Analecta Sacri Ordinis Prædicatorum", Romæ 1893 sqq.; inde ab a. 1995: "Analecta Ordinis Prædicatorum".
- BOP *Bullarium Ordinis Fratrum Prædicatorum*, ed. A. Brémond, t. I, Romæ 1729.
- CIC *Codex iuris canonici* auctoritate Ioannis Pauli II promulgatus, 25 ian. 1983, cc. 641-658: EDIL II, pp. 418-421.
- CL Ioannes Paulus II, Adhortatio apostolica post-synodalis *Christifideles Laici* de vocatione et missione laicorum in Ecclesia et in mundo, 30 dec. 1988: AAS 81, 1989, pp. 393-521.
- CMS *Cæremoniale iuxta ritum S. Ord. Præd. de Receptione ad habitum et de Professione tum temporaria tum perpetua, pro Monialibus eiusdem Ordinis et Sororibus Tertii Ordinis Regularis* (ed. minor), Roma 1930.

- I Const.* *Constitutiones antiquæ Ordinis Fratrum Prædicatorum (1215-1237)*, ed. A.H. Thomas, *De oudste Constituties van de Dominicanen...*, Leuven 1965 (Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique, Fasc. 42), pp. 309-369.
- II Const.* *Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum (1239-1241)*, ed. R. Creytens, *Les Constitutions des Frères Prêcheurs dans la rédaction de S. Raymond de Peñafort*, AFP 18, 1948, pp. 5-69, præsertim pp. 29-69.
- Constantinus Constantinus de Urbeveteri, *Legenda S. Dominici*, ed. H. Ch. Scheeben, Romæ 1935 (= MOPH XVI, pp. 286-352).
- COP *Cæremoniale iuxta ritum S. Ordinis Prædicatorum*, ed. A. V. Jandel, Mechliniæ 1869.
- DB *De benedictionibus*, editio typica, Romæ 1985.
- Declar. gen.* P. Damian Byrne MO, *Declarationes generales Regulæ Fraternalitatum Laicalium S. Dominici promulgatæ die 16 febr. 1988*, in RFL, p. 88.
- Directorium* *Directorium seu 'Formularium Ordinis Prædicatorum - Opusculum de agendis in Ordine'* prout exstat in Codice Ruthenensi (Rodez), AGOP XIV A 4 (sæc. XIV), pp. 11-27 = R. Creytens, *Le Directoire du Codex Ruthenensis conservé aux Archives Générales des Frères Prêcheurs*, AFP 26, 1956, pp. 98-126, præsertim pp. 109-126.
- EDIL R. Kaczynski (ed.), *Enchiridion documentorum instaurationis liturgicæ*, I (1963-1973), Torino 1976; II (1973-1983), Roma 1988.
- Eccl. Off.* *Ecclesiasticum Officium secundum Ordinem Fratrum Prædicatorum...*, vulgo dictum '*Prototypus Humberti de Romanis*', AGOP XIV L 1 (sæc. XIII).
- ET Paulus VI, Adhortatio apostolica *Evangelica Testificatio* de religiosa vita renovanda, 29 iun. 1971: AAS 63, 1971, pp. 497-526 et EDIL I, pp. 805-806.

- Humbertus Humbertus de Romanis, *Opera de vita regulari*, ed. J.-J. Berthier, 2 voll., Romæ 1888-1889 (reimpresio: Torino 1956).
- Iordanus Iordanus de Saxonia, *Libellus de principiis Ordinis Prædicatorum*, ed. H. Ch. Scheeben, Romæ 1935 (= MOPH XVI, pp. 25-88).
- IOPA SCCD, *Indicationes pro Ordine professionis religiosæ aptando* lingua Francogallica publici iuris factæ, die 15 iul. 1970: "Notitiæ" 6, 1970, pp. 319-322 et EDIL I, pp. 697-701.
- LCM *Liber Constitutionum Monialium O.P.*, ed. D. Byrne, ASOP 95, 1987, pp. 20-81.
- LCO *Liber Constitutionum et Ordinationum Fratrum Ordinis Prædicatorum* [1968], Romæ 1998.
- LG Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium*, 21 nov. 1964: AAS 57, 1965, pp. 5-67 et EDIL I, pp. 87-101.
- LHOP *Liturgia Horarum. Proprium Officiorum O. P.*, ed. V. de Couesnongle, Romæ 1982.
- MLOP *Proprium Ordinis Prædicatorum, Missale et Lecti-narium*, edd. V. de Couesnongle - D. Byrne, Romæ 1985.
- MOP *Missale iuxta ritum Ordinis Prædicatorum*, ed. A. Fernández, Romæ 1965.
- MOPH *Monumenta Ordinis Fratrum Prædicatorum Historica*, Lovanii - Romæ 1896 sqq.
- OPR SCCD, *Ordo Professionis Religiosæ*, Typis Poliglottis Vaticanis 1975 (reimpresio emendata): AAS 62, 1970, pp. 553 sqq. et EDIL I, pp. 653-659.
- PC Concilium Vaticanum II, Decretum *Perfectæ Caritatis* de accommodata renovatione vitæ religiosæ, 28 oct. 1965: AAS 58, 1966, pp. 702-712 et EDIL I, pp. 162-163.
- PROP *Proprium Ordinis Prædicatorum, IV: Rituale, Professionis Ritus*, Romæ, Ad S. Sabinae, 1999.

- PS *Processionarium S.O.P.*, ed. E.Suarez, Romæ 1949.
- RC SCRIS, *Instructio Renovationis Causam* de accommodata renovatione institutionis ad vitam religiosam ducendam, 6 ian. 1969: AAS 61, 1969, pp. 103-120.
- RD Ioannes Paulus II, *Adhortatio apostolica Redemptionis Donum*, 25 mart. 1984: AAS 76, 1984, pp. 513-546 et EDIL II, pp. 694-759.
- Regula* *Regula B. Augustini episcopi*: textus receptus ab Ordine, prout exstat in AGOP XIV L 1, f.36v (= LCO, pp. 11-19).
- RFL *Regula Fraternalitatum Laicalium S. Dominici*, ed. D. Byrne, ASOP 95, 1987, pp. 83-88.
- RFS *Regula Fraternalitatum Sacerdotalium S. Dominici*, ed. D. Byrne, ASOP 95, 1987, pp. 199-206.
- ROPD *Regula Fratrum et Sororum Ordinis de Penitentia Beati Dominici, Fundatoris et Patris Fratrum Ordinis Predicatorum*, ed. G. G. Meersseman, in *Dossier de l'Ordre de la Pénitence au XIII^e siècle* ("Spicilegium Friburgense", 7), Fribourg 1961, pp. 144-156.
- RP *Ritus Promissionis Religiosæ*, in OPR, pp. 95-109.
- SC Concilium Vaticanum II, *Constitutio Sacrosanctum Concilium* de sacra liturgia, 4 dec. 1963: AAS 56, 1964, pp. 97-124 et EDIL I, pp. 1-27.
- SCCD Sacra Congregatio pro Cultu Divino.
- SCR Sacra Congregatio Rituum.
- SCRIS Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Sæcularibus; usque ad 1 mart. 1968: S. Congregatio de Religiosis.
- SCSCD Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino.
- S. Th. S. Thomæ Aquinatis *Summa Theologiæ* (iuxta operis partitiones).

- VC Ioannes Paulus II, Adhortatio apostolica post-synodalis *Vita Consecrata*, 25 mart. 1996: AAS 88, 1996, pp. 377-486.
- Vicaire,
Les origines M.-H. Vicaire, *Les origines paradoxales du Tiers-Ordre de Saint Dominique*, in *Dominique et ses Prêcheurs*, Fribourg 1977, pp. 392-409.
- Vicaire,
Relecture M.-H. Vicaire, *Relecture des origines dominicaines: Le voeu de notre Profession*, "Mémoire Dominicaine" 4, printemps 1994, pp. 207-224.

INTRODUCTIO GENERALIS

1. EVANGELICÆ VITAE inter varias formas quas Patri vocanti docilibus multiformi gratia Spiritus Sanctus¹ in Ecclesia suscitavit ad Christi sequelam expediendam, Ordo Prædicatorum propriam affert in via sancti Dominici formam. Fideles igitur qui suo quisque modo propositum Ordinis² votis aliisque vinculis amplectuntur, Deo semetipsos devovent, ita ut eorum consecratio baptismalis uberiores fructus percipere queat,³ perfectionem scilicet christianæ vitæ, quæ in caritate erga Deum et proximum consistit.⁴

Cum autem ad ipsius caritatis perfectionem status religionis per evangelica ducat consilia,⁵ professione quidem religiosa ad integram Christi sequelam in Ordine percurrendam fratres et sorores divino obsequio intimius consecrantur⁶ ac universæ Ecclesiæ novo modo devoventur.⁷

2. Omnibus igitur "Familiæ Dominicanæ" sodalibus— Fratribus scilicet (clericis et cooperantibus), Monialibus, Sororibus ac sodalibus Fraternitatum S. Dominici (clericis et laicis)⁸— hic ritus cum adaptationibus suo loco indicatis adhibendus affertur. Perspectis enim linguarum et locorum differentiis atque necessitatibus actionis liturgico-pastoralis necnon et diversorum cœtuum peculiaritatibus, uno ritu et hodie fruente, omnes sancti Dominici alumni uniformitatem servabimus inde a primævis documentis commendatam ad "sanctæ studium unitatis" in ipsa mobilitate apostolica fovendum.⁹

¹ Cf. VC, n.1.

² LCO, n.1, *Const. fund.*, § 1. Cf. ACG 1986, nn. 85,87,89.

³ Cf. LG, n. 44; OPR Pr., n.1; LCO, n.189, § I; LCM, n. 152, § I; RFL, n. 14; RFS, n. 4, 2 § Cf. PC, n. 5; RD, n. 7; VC, n. 30; CIC, c. 573. Vide etiam S. Th. II-II, 186, 1 sq.

⁴ S. Th. II-II, 184,3.

⁵ Cf. S.Th. II-II, 188,2.

⁶ LG, n. 44.

⁷ LCO, n.1, *Const. fund.*, § III.

⁸ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § IX.

⁹ Clemens IV, Bulla *Consurgit in nobis*, Magistro et Fratribus Ordinis Prædicatorum, 7 iul.1267 : BOP I, p. 486; cf. Humbertus II, 5-8.

I. DE TRADITIONE LITURGICA ORDINIS

3. Ritus enim liturgicus Prædicatorum,¹⁰ ab Ordine ad modum Constitutionum nostrarum tribus capitulis generalibus (annis 1254-1256) stabilitus, deinde (anno 1267) exquirente Magistro Ordinis b. Iohanne de Vercellis, a Clemente IV auctoritate apostolica confirmatus,¹¹ multa per sæcula in usu fuit, adhibitis necessariis aptationibus ad libros liturgiæ Romanæ, post Concilium Tridentinum et etiam post sancti Pii X reformationis receptionem in Ordinem (1921)¹² instauratos.

Libris denique liturgiæ Romanæ auctoritate Concilii Vaticani II profundius instauratis, Ordo noster, perpensis et nova diversitate linguarum liturgicarum in Ecclesia latina ac necessitatibus actionis liturgico-pastoralis Ordinis, expetivit a Sede Apostolica ut a nobis adhibeantur *Missale Romanum* anni 1970 et *Liturgia Horarum* anni 1971, addito tamen *Proprio Ordinis Prædicatorum* in quo, iuxta verba decreti approbationis (25 iul. 1977), «peculiaris thesaurus nostræ traditionis» servatur.¹³

Cuius *Proprii* in hoc volumine quarto varii ritus exstant qui in *Processionario* nostro includebantur,¹⁴ ritus scilicet Professionis. Hic autem ritus non tantum est pars liturgiæ nostræ prototypicæ¹⁵ sed etiam, ut videtur, connexionem habet cum Constitutione primitiva

¹⁰ Ordo sancti Dominici, e communitate canonicorum regularium exorti, nonnulla quidem canonicalia elementa pro vita regulari ac liturgica servavit, sed "stabilitatem in loco" deposuit et sub unici Magistri obœdientia Ordinis unitatem fovit ac missionem apostolicam.

S. Dominici autem tempore usus liturgicus Curiae Romanæ tantum in Italia centrali vigeat, nec unica forma liturgica universa Ecclesia latina utebatur. Ordo autem noster, iam ante s. Raymundum de Peñafort Magistrum, suum usum liturgicum uniformem cœpit constituere, pro religiosis et apostolicæ et canonicalis vitæ aptatum: quam operam in medietate sæculi XIII Humbertus de Romanis perfecit.

¹¹ Bulla *Consurgit in nobis* (supra, adn. 9).

¹² Cf. B.M. Hespers, *Pianæ reformationis Breviarii Ordinis Prædicatorum brevis expositio*, ASOP 18, 1927-1928, pp. 97-103.

¹³ Cf. ASOP 42, 1977, pp. 196-197; LHOP, p. vi; MLOP, pp. ix-xi.

¹⁴ Ordo quidem «In electione Magistri Ordinis vel Prioris Provincialis vel conventualis» iam recognitus est in volumine tertio huius Ritualis O.P. instaurati (*Proprium Ordinis Prædicatorum, Rituale: Ordo in electionibus superiorum servandus*, ed. D. Byrne, Ad Sanctæ Sabinæ, Romæ 1992: ASOP 99, 1991, pp. 257-288).

¹⁵ Cf. *Eccl. off.*, ff. 50rA. 51rA.

sancti Dominici atque indole spirituali et apostolica Ordinis ab ipso fundati. Quæ indoles fideliter servatur in ritu nostro nunc ad normam Concilii Vaticani II¹⁶ atque *Ordinis Professionis Religiosæ*¹⁷ novi *Ritualis Romani* instaurato.¹⁸

II. DE PECULIARI INDOLE PROFESSIONIS DOMINICANÆ

4. «Professione Ordini nostro cooptati Deo totaliter consecramur ac universæ Ecclesiæ novo modo devovemur, integræ 'evangelizationi verbi Dei totaliter deputati'». ¹⁹ Hæc autem sui ipsius devotio, quæ per ipsam professionem efficitur, donum est gratiæ singularis, cuius Deus est auctor,²⁰ cum homo nonnisi «per voti obligationem» possit «totam vitam suam Deo actu exhibere», «quia non est tota simul, sed successive agitur». ²¹

Cum igitur per ipsam professionem²² «aliqua spiritualis consecratio seu benedictio»²³ efficiatur, specialis formula benedictionis seu consecrationis professi vel professæ in nostri Ordinis traditione deest et in hoc Rituali nonnisi inter textus ad libitum, scilicet in Appendice, præbetur.

5. Signanter vero in Ordine Prædicatorum obœdientia tantum profitetur (LCO, n. 17, § I), «qua persona ipsa totaliter se Deo devovet et cuius actus fini professionis qui est caritatis perfectio²⁴ propin-

¹⁶ Cf. inter alia SC, n. 80.

¹⁷ OPR *Pr.*, pp. 6 et 10. Cf. IOPA, n. 1, p. 699.

¹⁸ Hæc instauratio iam inde a Capitulo generali Tallaght anno 1971 celebrato (*Acta*, n. 172; App. II, p. 115) Magistro Ordinis commissa fuit. Cf. ASOP 41, 1973, pp. 23-24; SCCD, Decretum *De ordine professionis religiosæ O.P.*, 13 febr. 1973: ASOP 41, 1973, p. 23; *Ritus professionis sollemnis intra Missam peragendus*, ASOP 41, 1973, pp. 24-27; ACG 1974, n. 171; ASOP 43, 1977, pp. 137-138. 140. 231-233. Cf. V. Romano, *Il Rito della Professione O.P.*, AOP 1998, sub prelo.

¹⁹ LCO, n. 1, *Const. fund.*, § III. Cf. Honorius III, Bulla *Cum qui recipit* ad omnes prælatos Ecclesiæ, die 4 febr. 1221: MOPH XXV, p. 145.

²⁰ S. *Th.* II-II, 88,7,1.

²¹ S. *Th.* II-II, 186, 6, 2.

²² Cf. LG, n. 44 («consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia liberari intendit ab impedimentis ... et divino obsequio intimius consecratur»); LCO, n. 1, *Const. fund.*, § III («professione ... consecramur»).

²³ S. *Th.* II-II, 88,7,1. Cf. *Eph* 1,3; LG, n. 45.

²⁴ Cf. S. *Th.* II-II, 186, 2; LG, n. 44.

quiores existunt : per quam, denique, omnia alia quæ ad vitam apostolicam pertinent simul accipiuntur». ²⁵ Communitas quoque ipsa «ut in spiritu et missione sua fideliter permaneat, principio unitatis indiget», per obœdientiam scilicet sancto Dominico et successoribus eius. ²⁶

6. Quoniam autem per obœdientiam Christo et Ecclesiæ coniungimur, «quidquid laboris et mortificationis in eius adimpletione sustinemus, veluti protractio est oblationis Christi et rationem sacrificii obtinet tum pro nobis cum pro Ecclesia in cuius consummatione totum creationis opus impletur». ²⁷ Interea «obœdientia qua 'nosmetipsos in corde superamus' ²⁸ maxime prodest ad interiorem illam consequendam libertatem quæ est propria filiorum Dei — eademque 'per obœdientiam roboratur' ²⁹ — et nos ad donationem caritatis disponit». ³⁰

7. Ordo noster, inde ab exordiis, sancto Dominico adhuc vivente, proprium professionis ritum habuit a ceteris tunc existentibus per elementa propria distinctum. ³¹ Peculiaris enim professionis Prædicatorum indoles ab ipsis elementis propriis exurgit, qui spiritui atque apostolico proposito sancti Dominici nova ratione respondent. Eruiit vero et ab ipsa structura formulæ professionis et a ritibus. ³²

Professio enim fit ³³ non solum Deo sed et beatæ Mariæ et beato Dominico; ³⁴ unico voto obœdientiæ constat, cuncta status religionis

²⁵ LCO, n. 19, § I. Cf. S. Th. II-II, 186, 8.

²⁶ Cf. LCO, n. 17, § I et § II. Vide etiam Vicaire, *Relecture*, pp. 208 sqq.

²⁷ LCO, n. 19, § II; cf. Honorius III, Bulla *Cum spiritus fervore*, 12 dec. 1219: MOPH XXV, p. 116; S. Th. II-II, 186, 1 et 2; CIC, c. 607; PC, n. 14; ET, n. 29; RD, n. 8.

²⁸ Greg. M. *moral.* XXXV 14 (28), 155, CCL 143B, p.1793, apud S. Th. II-II, 104, 1; LCO, n.19, § III; LCM, n.19, § III.

²⁹ Cf. LCO, n. 214, § II; LG, n. 43; PC, n. 14; S. Th. II-II, 186, 5, 5 et 6,3.

³⁰ LCO, n. 19, § III; LCM, n. 19, § III; cf. PC, n. 14; ET, n. 6; RD, n. 14.

³¹ Cf. *I Const.*, d. I, c. 16; *Directorium* XII, 2, pp. 118 sq.; vide etiam Humbertum II, 215. Antiqua vero formula usque ad hodierna tempora immutata permansit hodieque viget (LCO, n.189, § I et 211).

³² Multa testimonia in primævis Ordinis documentis adsunt, ubi "De professionibus" agitur et "Modus recipiendi ad professionem" statuitur: cf. *I Const.*, d. I, c.16, p. 326; *II Const.* XV, p. 41; *Directorium* XII, pp. 118 sq.

³³ Formula Prædicatorum directe incipit originali verborum iunctura «facio professionem», ad significandum et adhæSIONem ad statum religiosæ perfectionis et adoptionem mediorum in hunc finem tendentium necnon Ordini traditionem sui ipsius..

³⁴ Verba autem «beato Dominico» inde ab anno 1254 sunt adiecta (cf. MOPH III, pp. 70. 75. 78).

elementa complectente; obœdientia directe Magistro Ordinis promittitur, utpote unitatis principio ipsius Ordinis eiusque missionis; fit non tantum secundum Regulam beati Augustini sed etiam secundum Institutiones Fratrum Prædicatorum.

Elementa autem complementaria, quæ professionis nostræ indolem propriam exprimunt, distinguebantur et quantum ad locum (in capitulo, non in ecclesia)³⁵ et quantum ad corporis positionem atque gestus (non 'super altare', stando, sed cum 'immixtione manuum' genuflexe ante Prælatum) et quantum ad habitus traditionem seu rituales vestitionem (non in ipso actu professionis, sed iam initio novitiatus, ut signum tum solummodo receptionis in Ordinem, ad vitam novam ducendam).

Quod vero attinet reliqua quæ formulam præcedunt, candidati interrogatio, quæ olim 'scrutinium' appellabatur, fit simpliciore forma, misericordia vero Ordinis in prostratione initiali petitur.

Post autem professionem emissam, osculum pacis datur a solo Prælato, ut signum fidelitatis et obœdientiæ necnon et receptionis in Ordinem. Habetur vero benedictio habitus³⁶ (qui initio novitiatus traditus est), quæ est signum consecrationis religiosæ³⁷ sed et maternæ protectionis B.V. Mariæ, quæque fit "ad omnem ambiguitatem penitus amovendam" inter habitum professorum et habitum novitiorum.³⁸

8. His sane præcipuis notis propriis, liturgia professionis et præviæ receptionis sobrietate atque apostolica libertate insignis exstat, quatenus essentialibus elementis continetur et quibuscumque vinculis localibus expers existit.³⁹

³⁵ Hæc nota fuit peculiaris in Ordine Prædicatorum inde ab exordiis, cum apud ceteros ritus professionis in ecclesia perficiebatur (cf. *I Const.*, d. I, c. 16, p. 327; *Directorium XII*, 2, p. 119).

³⁶ Hoc præscriptum est a Capitulo generali a. 1236 (cf. MOPH III, p.8 : «Vestes novitiorum, quando professionem faciunt, benedicantur, ad minus scapulare»).

³⁷ Cf. LCO, n. 51; LCM, n. 59; PC, n. 17; OPR *Pr.*, n. 5. S. Thomas habitum religiosum appellat *signum obligationis* quæ per tria vota contrahitur: «Determinatio autem habitus pertinet ad omnia tria vota, tamquam signum obligationis. Unde habitus regularis simul datur, vel benedicitur, cum professione» (*S. Th.* II-II, 186, 7, 2m).

³⁸ Cf. Gregorius IX, Bulla *Non solum in favorem* Magistro et Fratribus Ordinis Prædicatorum, 11 iul. 1236: BOP I, p. 90.

³⁹ Cf. Paulus VI, Litteræ Summi Pontificis ad Capitulum generale *Inclitus Ordo Fratrum Prædicatorum*, 30 iun. 1965: ACG 1965, p. IV; LCO, nn. 1, *Const. fund.*, § VII; 26, § I; 52; 106, § I; 115; 127; 128.

III. DE RITIBUS QUI VITÆ DOMINICANÆ GRADUS COMITANTUR

9. Gradus per quos fratres et sorores Ordinis nostri Deo et Ecclesiæ se devovent sunt : novitiatus, prima professio temporanea - quæ etiam simplex nuncupatur - et professio perpetua vel sollemnis.⁴⁰ Quibus insuper, secundum proprias diversorum Familiæ Dominicanæ cœtuum constitutiones, adnectitur votorum renovatio.⁴¹

10. Novitiatus, a quo vita religiosa incipit,⁴² «est probationis tempus, ad hoc videlicet ordinatum ut novitii vocationem divinam, et quidem dominicanam, intimius agnoscant, modum vivendi Ordinis experiantur, mente et corde in spiritu dominicano informentur atque de eorum proposito necnon idoneitate fratribus constet».⁴³

11. Initio novitiatus ritum⁴⁴ peragere præstat, quo Dei gratia impetretur ut eius finis peculiaris attingatur. Hic ritus simplex et sobrius esse debet, sodalibus Ordinis præsertim reservatus, nisi peculiare rationes pastorales aliorum præsentiam suadeant, dummodo tunc caveatur ne novitiorum libertas quodammodo minui videatur aut verus novitiatus sensus seu indoles experimenti obumbratur. Fieri autem debet extra Missam.⁴⁵

12. Tempore probationis expleto, sequitur prima professio, qua novitius vota temporaria coram Deo et Ecclesia emittit «ad vitam evangelicam in Ordine ducendam»⁴⁶ secundum uniuscuiusque conditionem. Votorum temporalium emissio fieri potest intra Missam, vel

⁴⁰ LCO, n. 190 : «In Ordine duplex fit professio: prima simplex et temporaria post novitiatum; altera sollemnis et exinde perpetua».

⁴¹ Cf. LCO, nn. 195 et 203, § I; LCM, nn. 153 sqq.; RFL, n. 14.

⁴² Cf. RC, n. 13.

⁴³ LCO, n. 177.

⁴⁴ In traditione Dominicana ritus initiationis ad vitam religiosam «De receptione novitiorum ad habitum» nuncupatur et agit (cf. PS, pp. 149-156; COP, nn. 1790-1797, pp. 531-534; CMS, pp. 1-10): ex primitiva enim Ordinis consuetudine hic ritus exprimit admissionem ad vitam religiosam et ingressum in fraternitatem conventualem. Idemque de more adhibetur «ante initium novitiatus» (*I Const.*, d. I, c. 14); ubi vero habitus non «ante initium novitiatus» sed «eo perdurante» traditur — ut in novis Constitutionibus admittitur (LCO, n. 176; LCM, n. 140, § II) — «vel etiam in die primæ professionis» (LCM, n. 140, § II), hic ritus aptetur modo infra indicato.

⁴⁵ Cf. OPR *Pr.*, n. 4; OPR I, n. 4; OPR II, n. 4.

⁴⁶ LCO, n. 189; LCM, n. 152, § I.

in congrua actione liturgica veluti in liturgia Verbi aut in aliqua Hora divini Officii, Laudibus et Vesperis præsertim, nulla tamen interposita peculiari sollemnitate.

13. Legitimo temporis spatio exacto emittitur professio perpetua vel sollemnis, qua fratres et sorores Ordinis nostri, titulo cuique proprio, in Ordine servitio Dei et Ecclesiæ in perpetuum mancipantur. Professione autem perpetua «magis repræsentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus».⁴⁷

14. Professionis perpetuæ ritus convenienti sollemnitate sodalium Ordinis populique concursu intra Missam peropportune persolvitur.⁴⁸

Hæc sunt eius præcipua elementa:

a) candidatorum prostratio cum eorum interrogatione aut candidatorum postulatio cum prostratione;

b) homilia seu allocutio, qua populus et professuri de vitæ religiosæ bono admonentur atque de charismate et missione Ordinis Prædicatorum edocentur;

c) interrogationes, quibus a professoris quæritur num parati sint ad se Deo devovendos et perfectam sectandam caritatem per obœdientiam legitimis Superioribus Ordinis, secundum Regulam et Institutiones Fratrum Prædicatorum aut cuiusque cœtus Familiæ Dominicanæ vel Instituti;

d) precatio sub silentio facta et oratio fidelium, vel supplicatio litanica, quibus oratio ad Deum bonorum omnium largitorem dirigitur atque beatissimæ virginis Mariæ, universi Ordinis Prædicatorum "Patronæ", ac sancti Dominici Patris nostri omniumque Sanctorum intercessio invocatur;

e) "immixtio manuum" profitentis et eius qui ipsum ad professionem recipit;

f) promissio obœdientiæ seu professionis emissio, quæ fit coram Ecclesia, conventu populoque, qua totaliter Deo consecramur et evangelizationi verbi Dei deputamur;⁴⁹

g) osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, ab illo solo qui professionem recepit.

⁴⁷ Cf. LG, n. 44.

⁴⁸ Cf. SC, n. 80.

⁴⁹ Cf. LCO, n.1, *Const. fund.*, § III; cf. LCM, n. 3, § II.

15. Renovatio votorum, quæ statutis temporibus perficitur iuxta Institutiones uniuscuiusque cœtus Familiæ Dominicanæ vel Instituti, intra Missam fieri potest, absque tamen sollemnitate.

Consuetudo vero renovandi vota pietatis causa pertinet ad devotionem privatam nec usus illa intra Missam renovandi commendatur.

Si autem, causa pietatis necnon et pastoralis actionis, opportunum videtur vota publice renovari peculiaribus diebus anniversariis — verbi gratia XXV vel L anno religionis — adhiberi potest ritus renovationis votorum, aptatis aptandis.

16. Hi ritus, cum alii alia sit indoles, suam quisque celebrationem requirunt ideoque rituum coacervatio in eadem actione liturgica omnino vitanda est.⁵⁰

IV. DE MISSA IN RITU PROFESSIONIS RELIGIOSÆ ADHIBENDA

17. Quoties professio religiosa, perpetua præsertim, intra Missam celebratur, diebus quibus Missæ rituales permittuntur, convenienter dicitur Missa “in die professionis religiosæ” quæ exstat in Missali Romano, additis insuper elementis propriis nostri Ordinis, quæ suis locis afferuntur. Occurrentibus vero diebus sub nn. 1-4 Tabulæ dierum liturgicorum, dicitur Missa de die cum suis lectionibus, servatis — pro opportunitate — formulis propriis in Prece eucharistica et in benedictione finali.

18. Cum autem liturgia Verbi, celebrationi professionis aptata, magnam vim habeat ad vitæ religiosæ naturam et munera illustranda, si Missa ritualis non dicitur, unam lectionem sumere licet ex iis quæ in peculiari lectionario recensentur, exceptis diebus supra memoratis.⁵¹

Ad Missam ritualement “in die professionis religiosæ” celebrandam, sacræ vestes coloris albi adhibentur.

⁵⁰ OPR *Pr.*, n. 8.

⁵¹ OPR *Pr.*, n. 10.

V. DE VERSIONIBUS ET APTATIONIBUS HUIUS RITUALIS

19. Hic Professionis Ordo adhibendus est perspectis aptationibus pro unoquoque coetu prævisis, et quæ ex versionibus liturgicis promanant et quæ iuxta celebrationis adiuncta requiruntur, prout in ipso Rituali indicatur.

20. Totius huius Professionis Ordinis pro unaquaque regione linguistica habeatur unica versio, editioni typicæ latinæ conformis, ab eiusdem regionis Commissione liturgica Ordinis, secundum Sedis Apostolicæ normas Ordinisque indicationes⁵² conficienda, præ oculis habita illius regionis versione *Ordinis Professionis Religiosæ* pro illa regione aptata.⁵³

21. Singulis pro aptationibus parandis, ut a Magistro Ordinis approbentur et a Sede Apostolica confirmentur, modo sequenti procedatur :

a) pro Fratribus aptationes sub Priorum Provincialium responsabilitate proponantur;

b) pro Monialibus aptationes iuxta desideria et suggestiones Fœderationum vel singulorum Monasteriorum concorditer expressa proponantur.

22. In hoc tamen Rituali aptando hæc servantur oportet :

a) indicationes quæ in hac «Introductione generali» continentur;

b) formulæ professionis temporariæ et perpetuæ vel sollemnis, quoad elementa essentialia;

c) vis "spiritualis consecrationis" formulæ professionis in Ordine;⁵⁴

d) ritus professionis perpetuæ vel sollemnis collocatio infra Missam post evangelium.

⁵² Cf. 'Consilium', "Notitiæ" 5, 1969, pp. 3-12; SCCD, AAS 66, 1974, pp. 98-99; ASOP 44, 1979, pp. 13-30; LHOP, p. xxvi; MLOP, «Introductio generalis», p. xxxvii.

⁵³ Cf. IOPA, n. 2.

⁵⁴ Supra, n. 4.

23. Congregationes religiosæ, Societates vitæ apostolicæ, Instituta sæcularia, Ordini nostro aliquo modo aggregata, quatenus ex eodem fonte sancti Dominici haurientia, textum sumere possunt qui pro eis in sectione adnexa huius Ritualis præbetur, iuxta versionem pro sua quæque regione linguistica rite approbatam (cf. supra, n. 20); in hoc textu sibi aptando, unumquodque Institutum elementa inserat propria, peculiari cuiusque charismati accommodata necnon et spiritui ac traditionibus Ordinis nostri, quæ sint iam ab ipso recepta. Quæ autem omnia fieri debent de consensu auctoritatum Ordinis et cum approbatione seu confirmatione Sedis Apostolicæ.

PARS PRIMA

ORDO
RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS
FRATRUM

PROCEMIUM

1. EX ANTIQUA CONSUECUDINE,¹ novitiorum receptio in Ordinem traditione habitus perficitur tamquam verus admissionis ritus; ideoque ritualis "vestitio" initio novitiatus² perficienda collocatur, utpote "signum receptionis" in Ordinem, nondum vero "consecrationis", quæ per professionem habetur.³

2. In Ordine duplex fit professio: prima simplex et temporaria post novitiatum, altera vero sollemnis et exinde perpetua.⁴

Duplex igitur habetur ritus recipiendi ad professionem:

- ritus professionis simplicis seu temporariæ;
- ritus professionis sollemnis seu perpetuæ.

Qui quidem ritus ita distinguantur oportet ut "discrimen liturgicum" inter professionem sollemnem et professionem simplicem accurate servetur.⁵

3. Professio autem emittitur sub unica formula Ordini nostro propria,⁶ temporis tantum indicatione mutata.

¹ Cf. *I Const.*, d. I, c. 14; *Directorium XII*, pp. 116-118; Humbertus II, pp. 525-527.

² Vide supra, «Intr. gen.», adn. 44.

³ Vide supra, «Intr. gen.», n. 7.

⁴ LCO, n. 190; cf. supra, «Intr. gen.», nn. 9.12.13.

⁵ OPR *Pr.*, n. 14, c.

⁶ Cf. supra, «Intr. gen.», n. 7.

CAPUT I

RITUS RECEPTIONIS NOVITIORUM

DE MODO RECIPIENDI NOVITIOS IN ORDINEM

4. Antequam novitiatus incipiat, adspirantes exercitia spiritua-
lia saltem per quinque integros dies convenienter peragunt.⁷

Ipsis vero coram Consilio conventus vel cœtu pro candidatorum
admissione fiat “declaratio et protestatio” circa vitæ religiosæ et
legum Ordinis observantiam, ut infra in Appendice (V, n. 79),⁸ iis
attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

5. Die quo novitiatus canonicus incipit ritum peragere præstat,
qui sua ipsius natura peragi debet extra Missam,⁹ separatim quoque
a ceteris ritibus professionis. Inseriri vero potest peculiari verbi Dei
celebrationi, quæ naturam vitæ religiosæ et indolem propriam Ordi-
nis nostri illustret.

6. Ritus sit admodum simplex, sobrius, fratribus conventus
præsertim reservatus.¹⁰ Ad ipsum ritum peragendum aula capitularis
vel alius similis locus vel etiam sacellum deligi potest.

7. Ritui præest Prior provincialis in propria Provincia, Prior vel
Supprior in capite conventus in quo adspirans recipitur, vel eorum
delegatus.¹¹ Qui omnes nomine “Prioris” hic infra indicantur.

8. Novitiatus incipit intimatione a legitimo facta Superiore, qui
candidatos ad habitum recipit. De hac intimatione necnon de affilia-
tione¹² fiat registratio, a novitio et a duobus testibus subscripta, in
libro admissionum.¹³

⁷ LCO, n. 178, § I.

⁸ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

⁹ Cf. OPR *Pr.*, n. 12.

¹⁰ Vide supra, «Intr. gen.», n. 11.

¹¹ LCO, n. 175.

¹² LCO, nn. 267-268.

¹³ LCO, n. 178, § II.

RITUS INITIALES

9. Ritus opportune incipit salutatione Prioris, qui pro opportunitate — scilicet, si prævia quædam ritus explicatio non est habita — poterit paucis verbis, monitionis instar, sensum celebrationis adstantibus explanare. Sequitur cantus *Veni Creátor* aliusve hymnus.

Interrogatio vel postulatio

10. Deinde Magister novitiorum, vel alius frater qui candidatos comitatus sit in itinere vocationali seu in postulatus decursu, postulantes ducit in medium capituli, ubi se prosternunt manibus in modum crucis extensis.

Tunc Prior — indutus cappa Ordinis, si mos est — postulantium voluntatem exquirat dicens:

Quid quæritis ?

Et postulantes omnes simul respondent:

Misericórdiam Dei et vestram.¹⁴

11. Vel, si placet, ommissa interrogatione et absque prostratione, unus ex candidatis pro omnibus ad Priorem et conventum conversus, postulatiorem facere potest his verbis:

Misericórdia Dei compúlsi,
huc vénimus ad conversatióem experiéndam vestram;
docéte nos, rogámus, evangélicam perfectiόem
secúndum régulam et institutiόnes Fratrum Prædicatórum,
ut per hanc sequélam Christi
in caritáte Dei et próximi perficiámur
tamquam viri qui suam et aliórum salutem
procuráre désiderant,
sicut viri evangélici sui sequétes vestigia Salvatóris.¹⁵

Quibus dictis, omnes candidati se prosternunt, manibus in modum crucis extensis.

¹⁴ Cf. *I Const.*, d. 1, c. 13.

¹⁵ Cf. *I Const.*, d. II, c. 31; LCO, n. 1, *Const. fund.*, §§ II et III.

* * *

12. Tunc pro opportunitate Prior adstantes ad orationem invitat, his vel similibus verbis :

Orémus pro istis frátribus nostris
qui in Órdinem nostrum récipi petunt,
ut divínus Magíster ipsis tríbuat
abundántiam sui Spíritus et suæ pacis solácium.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

Deinde Prior dicit :

Deus, sanctæ vocatiónis largítor,
qui ut viri evangélici¹⁶ exémplum
beátum Domínicum Ecclésiæ donásti,
famulórum tuórum *N.* et *N.* supplicatiónes benígus exáudi,
qui, ut tibi perféctius desérviant,
nostræ petunt aggregári famíliæ;
et concéde propítius,
ut commúnis vita in mútuam dilectiÓNem convertátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

* * *

Prior subiungit :

Leváte.

Tunc candidati ad locum suum redeunt, et omnes sedent.

¹⁶ Cf. Iordanus, n. 104.

VERBI DEI CELEBRATIO

13. Deinde leguntur sacrarum Scripturarum textus apti, qui novitatem vitæ per baptismum acceptam memorent, ad indicandum nexum vitæ religiosæ cum baptismo aliisque initiationis christianæ vitæ sacramentis, congruentibus interiectis responsoriis (cf. infra, in Appendice I).

14. Quibus peractis, præ oculis habens Scripturarum lectiones, Prior fratres et postulantes adloquitur de vitæ religiosæ natura atque Ordinis nostri charismate proprio, eiusdem præcipuas exigentias et austeritates¹⁷ illustrans.

RECEPTIO POSTULANTIUM

Interrogationes

15. Deinde, in fine sermonis, Prior invitat postulantes ad surgendum et voluntatem eorum requirit, his vel similibus verbis, unam vel plures interrogationes seligens:

Vultis, firma intentiõne,
in novitate vitæ fideliter ambulare?

Postulantes omnes simul respondent:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.¹⁸

* * *

Prior:

Vultis Dóminum Iesum sequi
secúndum beáti Domínici evangélicum propósitum?

Postulantes:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.

¹⁷ Cf. PS, pp. 149-153.

¹⁸ *Directorium* XI, 9, p. 118.

Prior:

Vultis ergo in nostrum Órdinem récipi,
ad conversatióem nostram experiéndam
in perfécta regulári observántia?

Postulantes:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

* * *

Tunc Prior eorum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.¹⁹

Et adstantes respondent:

Amen.

Vestitio seu traditio habitus

16. Tunc Magister novitiorum vel alius frater (cf. n.10) unumquemque candidatorum ducit ad Priorem et facit genuflectere coram eo; et vestiarius portans vestes præparatas, eas Priori porrigit. Prior adiuvante Magistro novitiorum vel alio fratre, eos induit habitu Ordinis.²⁰

Vestitione peracta, Prior unumquemque novitiorum recipit ad osculum pacis, utpote signum receptionis in Ordinem et admissionis in fraternitatem conventualem.

Dum novitii induuntur, omnibus genua flectentibus canitur hymnus *Veni Créator*,²¹ nisi prius cantatus fuerit, aut chorus canit antiphonam *Immutémur hábitu* (MLOP, p. 6) cum psalmo 39 (*Exspéctans exspectávi Dóminum*), vel alium congruum cantum.

17. Vel, si talis est consuetudo Provinciæ, Prior novitiis habitum tradit aliqua parte novitiatus expleta,²² congrua vero celebratione disposita.

¹⁹ *I Const*, d. I, c. 13.

²⁰ Cf. LCO, n. 50.

²¹ Cf. COP, p. 123, n. 486.

²² Cf. supra, «Intr. gen.», adn. 44.

Quo in ritu, Magister novitiorum vel alius frater (cf. n. 10) unumquemque illorum ducit ad Priorem et facit genuflectere coram eo, qui habitu Ordinis unumquemque novitiorum induit vel unicuique habitum tradit in manus, dicens:

Præstet tibi Dóminus
véterem hóminem exúere, cum áctibus suis,
et novum indúere hóminem, qui secúndum Deum creátus est,
in iustítia et sanctitáte veritátis.²³

Quo facto, Prior unumquemque novitiorum recipit ad osculum pacis, utpote signum receptionis in Ordinem et admissionis in fraternitatem conventualem.

18. Tunc, si ritus in capitulo vel in choro fuerit peractus, egreditur conventus processionaliter ad ecclesiam, iunioribus præcedentibus, Magistro novitiorum vel alio fratre ducente novitios usque ad gradum altaris. In processione canitur hymnus vel psalmus aptus.

Oratio universalis

19. Deinde fieri potest oratio universalis, modo in celebrationibus consueto, iuxta formularium quod in Appendice (II, nn. 62-65) affertur. Petitionibus autem expletis dicitur *Oratio dominica*.

Receptio fraterna et intimatio novitiatus

20. Postea novitii eant dando pacem unicuique fratrum, dum canitur ps. 132 *Ecce quam bonum* vel ant. *Ubi caritas* vel ant. *O spem miram* vel alius cantus congruus.

21. Quibus expletis, Magister novitios iterum ad Priorem ducit, qui eis – si opportunum videtur – aliud nomen, christianum scilicet, addere potest, unicuique dicens:

Ex baptísimo est nomen tuum *N.*,
in Órdine vocáberis frater *N.N.*²⁴

²³ Cf. *Eph* 4, 24.

Deinde Prior intimatione²⁵ anni canonici novitiatus tempus probationis assignat novitiosque curæ Magistri tradit, eos monens his vel similibus verbis:

Ecce, filii, vos recepistis misericórdiam Dei et nostram iam ex parte,
quia dédimus vobis hábitum nostrum ad probatióem:
restat vobis fácere professiόem,
ut ipsam misericórdiam possitis habére compléte.
Et quia forte mores Religiónis non placébunt vobis,
aut mores vestri non placébunt nobis,
ídeo auctoritáte Ecclésiæ et Órdinis
vobis concédo unum annum,
ut vos possitis probáre mores nostros et nos mores vestros.
Et si vobis placébit nobíscum vívere
et nobis placébit conversátio vestra,
recipiémus vos ad professiόem :
álias et nos et vos érimus in libertáte.
Conámini ergo iugum hoc pro amóre Dei libénter ferre
et Magístro vestro in ómnibus obœdíre tamquam mihi.²⁶

Vel:

Iura volunt quod ingrediéntibus nostrum Órdinem
tempus probatióis, annus vidélicet, assignétur.
Et ego — auctoritáte officii quo fungor —
unum annum vobis pro témpore probatióis assigno,
sub ductu fratris *N. N.* percurréndum,
qui vos de Órdine nostro docébit.
Infra hoc tempus, fratres probábunt mores vestros
et vos probábitis vires vestras
ad austeritátes Órdinis eiúsque múnera sustinénda.
Quo anno elápso, potéritis,
si vobis et frátribus placúerit,
per professiόem Órdini obligári;
sin autem, potéritis de vobis, prout vidébitur, ordináre.²⁷

²⁴ Cf. PS, p. 155.

²⁵ Cf. LCO, n. 178, § II.

²⁶ Cf. PS, p. 155.

²⁷ *Directorium* XI, 8, p. 118; cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

22. Si librum Constitutionum tradi placet, hic tradatur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

Si non sequitur aliqua pars Liturgiæ Horarum, ritus concluditur ut sequitur.

CONCLUSIO RITUS

23. Prior adstantes ad orationem invitat, dicens:

Imitémur, fratres, ut póssumus, sancti patris Domínici vestígia,
 simul et agámus grátias Redemptóri
 qui talem in via hac, qua ambulámus,
 ducem exhibuit servis suis,
 per eum nos in huius conversatiónis lucem régénerans;
 et deprecémur misericordiárum Patrem,
 ut illo nos regénte Spírítu, quo filii Dei agúntur,
 per términos quos posuérunt patres nostri
 ad eándem metam
 perpétuæ felicitátis et sempitérnæ beatitúdinis,
 ad quam ille sine fine felix introívit,
 nos quoque indefléxo trámite pertíngere mereámur.²⁸

Orémus.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant, deinde Prior prosequitur:

Famíliam tuam, quæsumus Dómine,
 propítius réspice et nova prole semper amplífica,
 ut et filios suos ad propósitam sanctitátem perdúcere
 et aliórum salútem effícaciter váleat procuráre.
 Per Christum Dóminum nostrum.²⁹

℟. Amen.

²⁸ Cf. Iordanus, n. 109.

²⁹ Cf. MOP, p. [66].

✠ Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℞. Qui fecit cælum et terram.

24. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, antiphona *Salve Regina* vel alio cantu; quo expleto, adstantes salutant novitios secundum loci consuetudinem.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS

DE MODO RECIPIENDI AD PROFESSIONEM

25. Ritus professionis, ex Ordinis consuetudine,³⁰ in aula capitulari vel in choro peragitur; rationabili vero de causa ritus in ecclesia fieri potest, sive in connexionione cum aliqua divini Officii Hora sive intra Missam,³¹ iuxta hodiernam consuetudinem.

Professio fit in conventu a Priore provinciali designato et ordinarie coram communitate. In casibus autem exceptionalibus, de consensu Prioris provincialis, fieri potest extra conventum Ordinis.³²

26. Ritui ad recipiendam professionem ordinarie præest, præter Magistrum Ordinis, Prior provincialis in propria provincia, Prior vel Supprior in capite conventus in quo professio emittitur, vel eorum delegatus.³³ Hi omnes nomine "Prioris" hic infra indicantur.

27. Antequam ad primam professionem candidati admittantur, denuo fiat ipsis, coram Consilio conventus vel cœtu pro eorum admissione, declaratio et protestatio circa vitæ religiosæ et legum Ordinis observantiam,³⁴ iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

28. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eodem professo atque a duobus testibus subscribatur,³⁵ numquam vero super altare.

29. In hoc Rituali illi professionis ritus præbentur qui intra Missam peraguntur. Quando autem extra Missam professio emittitur vel renovatur, ritus est pro opportunitate aptandus, congruis elementis selectis, ut infra, nn. 51-52.

³⁰ Cf. supra, «Intr. gen.», n. 7.

³¹ Cf. OPR *Pr.*, n. 5.

³² Cf. LHOP, *Adn. compl.*, n. 36, p. 19.

³³ LCO, n. 193.

³⁴ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II; vide etiam infra, in Appendice V, n. 79.

³⁵ LCO, n. 194.

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

30. Quando ritus professionis in ecclesia persolvitur, professio de more fit ad sedem; quæ, si adiuncta expostulant, opportune paratur ante altare. In presbyterio omnia disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus conspici possit.

31. Adhibetur "Missa de die" aut "Missa ritualis in die primæ professionis religiosæ", ad normam legum liturgicarum.³⁶

RITUS INITIALES

32. Celebratio opportune incipit cantu introitus cum processione ingressus ad altare, cui laudabiliter intersunt professuri, comitante Magistro novitiorum.

Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt.

LITURGIA VERBI

33. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc :

a) lectiones, diebus quibus permittitur, vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur;³⁷

b) Symbolum dicitur, si rubricis liturgiæ diei præscribitur.

PROFESSIO RELIGIOSA

Interrogatio vel postulatio

34. Dicto Evangelio, Magister novitiorum professuros ducit in medium ante Priorem, ubi se prosternunt manibus in modum crucis extensis. Tunc Prior novitios interrogat dicens:

³⁶ Cf. OPR *Pr.*, nn. 9-11 et 15; «Intr. gen.», nn. 17-18.

³⁷ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

Quid quæritis?

Cui omnes simul respondent:

Misericórdiam Dei et vestram.³⁸

35. Vel, si placet, ommissa interrogatione et absque prostratione, unus ex candidatis pro omnibus ad Priorem et conventum conversus, postulationem facere potest his verbis:

Nos, *N.* et *N.*, cum misericórdia Dei
vestram novérimus Régulam
et fratérne vobíscum probatiónis degérimus tempus,
felíci experiéntia edócti
a te, Pater, humíliter póscimus
ut Deo eiúsque Regno nos devoveámus
sanctam professiÓNem emitténtes
in Órdine Prædicatórum.

Quibus dictis, omnes candidati se prosternunt manibus in modum crucis extensis. Prior et omnes fratres respondent:

Deo grátias.

vel alio apto modo.

Diaconus vel minister subiungit:

Leváte.

Tunc professuri ad locum suum redeunt et omnes sedent.

Homilia seu allocutio

36. His peractis, fit homilia seu allocutio in qua opportune illustrantur tum lectiones bíblicæ tum professionis religiosæ donum, iuxta indolem

³⁸ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

vocationis et missionis Ordinis nostri, atque munus ad electorum sanctificationem atque ad Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

37. In fine sermonis Prior ad professuros conversus quærit:

Vultis fácere professionem
secúndum Constitutiónes Órdinis Prædicatórum?³⁹

Professuri surgentes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.⁴⁰

Prior:

Dóminus qui incépit, ipse perficiat.⁴¹

Omnes:

Amen.

38. Vel, si placet, Prior voluntatem candidatorum, coram eo stantium, requirit interrogationibus quæ sequuntur vel similibus.

Prior:

Fílii (Fratres) dilectíssimi,
quos aqua et Spíritus Deo sacrávit,
vultis novo professionis religiósæ título
árctius Christo et Ecclésiæ coniúngi? ⁴²

Professuri omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

³⁹ Cf. CMS, p. 11.

⁴⁰ *Directorium XI*, 9, p. 118.

⁴¹ *I Const.*, d. I, c. 13.

⁴² Cf. LCO, n. 19, § II.

Prior:

Vultis perfectæ caritatis viam ingredi,
secundum apostolicam vivendi formam
a sancto Domínico propósitam,⁴³
sicut viri evangélici
sui sequentes vestigia Salvatoris? ⁴⁴

Professuri:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.

Prior:

Vultis, ad vestigia Salvatoris nostri sequenda,⁴⁵
vitam communem unanimiter agere:
in consiliórum evangélicórum professione fidéles,
in oratione ferventes, in stúdio assídui,
in prædicatione constantes
et in regulári observántia perseverantes
ad Dei glóriam et vestram aliorúmque salutem? ⁴⁶

Professuri:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.

Tunc Prior eorum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.⁴⁷

Omnes:

Amen.

⁴³ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § IV.

⁴⁴ *I Const.*, d. II, c. 31.

⁴⁵ Cf. *ibid.*

⁴⁶ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § IV.

⁴⁷ *I Const.*, d. I, c. 13.

Professio religiosa

39. Tunc unusquisque novitiorum accedens genuflectit ante Priorem sedentem et suis quisque manibus positus inter eiusdem manus ac libro Constitutionum superposito manibus utriusque, professionem facit intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam:

Ego frater *N. N.* facio professionem
et promitto obœdiëntiam Deo
et beátæ Mariæ et beáto Domínico
et tibi fratri *N. N.*, Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et successóribus tuis

(*vel: tibi fratri N.N., Prióri provinciáli Provinciæ N.,*

vel: tibi fratri N.N., delegáto...,

*vice fratris N.N., Magístri Órdinis Fratrum
Prædicatórum et successórum eius),*

secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Fratrum Prædicatórum,
quod ero obœdiens tibi tuisque successóribus,
ad triénnum (*vel: ad annum*).⁴⁸

40. Si vero tempore professionis Ordo Magistrum non habuerit, profitens obœdiëntiam præsentí promittat vice Magistri Ordinis, absque expressione cuiuscumque nominis.⁴⁹

Osculum pacis

41. Emissa professione, tantummodo Prior fratres profitentes recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, quo vinculum obœdiëntiæ et communionis significatur.

Benedictio habitus

42. Postea Prior vestes profitentium benedicit, iunctis manibus:

⁴⁸ LCO, n. 199, § I.

⁴⁹ LCO, n. 199, § II.

Orémus.

Deus, sanctitátis auctor et consummátor,
 qui renátos ex aqua et Spíritu Sancto
 ad vitæ christiánæ plenitúdinem
 et caritátis perfectiónem vocas:
 hos fámulos tuos propítius réspice
 quos, Matre Misericórdiæ auxiliánte,
 grátia prædicatiónis et novi hábitus dono,
 in signum eius speciális protectiόνis,
 ad præparatióem evangélii pacis⁵⁰ locupletásti;
 et præsta ut Christi Fílii tui imágini confórmes efficiántur
 et huius vitæ cursu feliciter consummáto,
 redimíti glória, in gáudium domus tuæ intráre mereántur.
 Per Christum Dóminum nostrum.⁵¹

℟. Amen.

Vel:

Dómine Iesu Christe,
 qui tégimen nostræ mortalitátis indúere dignátus es:
 obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam,
 ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres
 ad innocéntiæ et sanctitátis indícium ferre sanxérunt,
 ita bene ꝛ dícere dignéris
 ut qui hoc usus fúerit te indúere mereátur,
 qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.⁵²

℟. Amen.

Tunc Prior professos aqua benedicta aspergit.

Conclusio ritus professionis

43. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium (infra in Appendice II, nn. 62-65).

⁵⁰ Cf. Iordanus, n. 57.

⁵¹ Cf. DB, n. 1218, p. 466.

⁵² *Eccl. Off.*, f. 51r A; cf. PS, p. 157.

LITURGIA EUCHARISTICA

44. Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnulli religiosi nuper professi ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Sacrificio eucharistico, et alia dona symbolica iuxta traditiones loci.

45. Qui celebrationi præest pacem offert singulis religiosi nuper professis ad altare accedentibus, more consueto aut secundum loci vel Provinciæ consuetudinem.

46. Postquam sacerdos Eucharistiam sumpsit, etiam omnes adstantes eam sub utraque specie sumere possunt, servatis semper dispositionibus Conferentiarum Episcoporum et Episcopi diœcesani.

DIMISSIO

47. Deinde sacerdos fratres et adstantes benedicit:

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Sacerdos:

Benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ☩ et Spírítus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

48. Altera benedictionis formula:

Deus Pater sua vos tueátur grátia
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

℟. Amen.

Dóminus Iesus
caritátis suæ apud omnes
signum ac testes
fáciat vos.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus
fortíficet corda vestra
et súggerat vobis omnem veritátem.

℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

49. Deinde diaconus vel sacerdos fratres et adstantes dimittit dicens:

Ite, missa est.

℟. Deo grátias.

50. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, antiphona *Salve Regína* vel alio cantu; quo expleto, adstantes salutant fratres nuper professos secundum loci consuetudinem.

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS EXTRA MISSAM PERAGENDUS

51. Quando ritus professionis simplicis extra Missam peragitur,⁵³ inseri potest in celebrationem verbi Dei, modo sequenti:

a) post cantum aptum, fit interrogatio vel postulatio novitiorum (nn. 34-35);

b) sequitur lectio verbi Dei, cui respondetur cantu psalmi apti (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Prioris;

c) postea ipse ritus professionis habetur: interrogationes (nn. 37-38), professionis formula (nn. 39-40), osculum pacis (n. 41), benedictio habitus (n. 42);

d) ritus concludi potest oratione universali (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) — addita, si placet, *Oratione dominica* — et benedictione sollemni (n. 48).

52. Quando autem ritus intra Liturgiam Horarum peragitur (præsertim Laudum vel Vesperarum), proceditur modo sequenti:

a) post hymni cantum, fit interrogatio vel postulatio novitiorum (nn. 34-35);

b) sequuntur psalmodia et lectio verbi Dei, quod seligi potest ex textibus in Lectionario præbitis (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Prioris;

c) postea ipse ritus professionis habetur: interrogationes (nn. 37-38), professionis formula (nn. 39-40), osculum pacis (n. 41), benedictio habitus (n. 42);

d) deinde dicitur oratio universalis seu fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65);

e) canitur postea *Canticum Zachariæ* vel *Magnificat*;

f) ritus concluditur recitatione *Orationis dominicæ*, oratione finali et benedictione sollemni (n. 48).

⁵³ Cf. «Intr. gen.», n. 12.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS SOLLEMNIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

NOTA PRÆVIA

53. Antequam ad professionem sollemnem candidati admittantur, denuo fiat ipsis, coram Consilio conventus vel cœtu pro eorum admissione, declaratio et protestatio circa vitæ religiosæ et legum Ordinis observantiam,⁵⁴ iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

54. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eodem professo atque a duobus testibus subscribatur,⁵⁵ numquam vero super altare.

DE MODO RECIPIENDI AD PROFESSIONEM

55. Professionis sollemnis ritus, Familiæ Dominicanæ sodalium populique concursu, intra Missam peropportune persolvitur. Fideles autem de die atque hora tempestive certiores fiant, quo frequentiores accurrere possint.

56. Ad professionis ritum peragendum, quo religiosus Deo in perpetuum mancipatur, laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitas Domino, beatæ Mariæ vel Sanctis, nostri Ordinis præsertim, dicata, servatis semper de iure servandis.

57. Ritus peragitur separatim a ceteris professionis ritibus.⁵⁶ Congrua autem sollemnitate celebretur, ut ritus natura postulat, decora tamen illa sobrietate servata, quæ Ordini nostro convenit.

⁵⁴ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II; vide etiam infra, in Appendice V, n. 79.

⁵⁵ LCO, n. 194.

⁵⁶ Cf. OPR *Pr.*, n. 8; OPR I, n. 41.

58. Professio de more fit in ecclesia Ordinis vel, si ita opportunum videbitur, ritus in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia congruenter persolvitur.⁵⁷

59. Professio de more fit ad sedem; ad participationem autem fidelium expediendam, sedes pro sacerdote Celebrante opportune paratur ante altare; omnia ita disponantur, ut tota actio liturgica a fidelibus conspici possit.

60. Ubi fieri potest, Missa concelebrata præferatur, cui Prior professionem recepturus præsit.

61. Adhibetur "Missa diei" aut "Missa ritualis in die professionis perpetuæ", quæ in Proprio Missarum invenitur, ad normam legum liturgicarum.⁵⁸

RITUS INITIALES

62. Celebratio opportune incipit cantu introitus dum incedit processio per ecclesiam ad altare, cui laudabiliter intersunt professuri, eorum comitante Magistro. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum actio liturgica prosequitur.

LITURGIA VERBI

63. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones, diebus quibus permittitur, vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur;⁵⁹

b) Symbolum dicitur, si rubricis liturgiæ diei præscribitur.

⁵⁷ Cf. LHOP, *Adnot. compl.*, n. 36, p. 19.

⁵⁸ Cf. «Intr. gen.», nn. 17-18.

⁵⁹ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

PROFESSIO RELIGIOSA

Interrogatio vel postulatio

64. Dicto Evangelio, Magister aliusve frater professuros ducit in medium ante Priorem, ubi se prosternunt manibus in modum crucis extensis. Tunc Prior professuros interrogat dicens:

Quid quæritis?

Cui omnes simul respondent:

Misericórdiam Dei et vestram.⁶⁰

65. Vel, si placet, ommissa interrogatione et absque prostratione, unus ex professuris, stans ad Priorem conversus, nomine omnium postulationem facere potest his vel similibus verbis:

Nos, *N.* et *N.*, cum misericórdia Dei
vitam ipsi vínculis sacris dicátam
in vestra novérimus communitáte,
a te, Pater (Frater), humíliter póscimus,
ut professiónem sollémnem
in Órdine Fratrum Prædicatórum emittámus
ad Dei laudem et Ecclésiæ servítium.

Quibus dictis, omnes candidati se prosternunt manibus in modum crucis extensis. Prior et omnes fratres respondent:

Deo grátias.

vel alio apto modo.

Diaconus vel minister subiungit:

Leváte.

⁶⁰ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

Tunc professuri ad locum suum redeunt et omnes sedent.

Homilia seu allocutio

66. Quibus peractis, fit homilia seu allocutio in qua opportune illustrantur tum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum Ordinisque nostri propria vocatio et missio atque munus ad electorum sanctificationem atque ad Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

67. Homilia expleta Prior ad professuros conversus quærit:

Vultis fácere professionem sollémnem
secúndum Constitutiónes Órdinis Prædicatórum?⁶¹

Professuri surgentes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Prior subiungit:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.

R. Amen.

68. Vel, si placet, Prior voluntatem candidatorum, coram eo stantium, requirit interrogationibus quæ sequuntur vel istis similibus.

Prior:

Fílii (Fratres) dilectíssimi, iam per baptísmum
peccáto mórtui ac Dómino sacráti,
vultis sollémnis professionis título
árctius Christo et Ecclesiæ coniúngi? ⁶²

⁶¹ Cf. CMS, p. 17.

⁶² Cf. LCO, n. 19, § II.

Professuri omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Prior:

Vultis in caritate Dei et próximos proficere⁶³
Ordinis nostri apostolicum propósitum prosequendo
tamquam viri qui suam et aliorum salutem
procurare desiderant,
sui sequentes vestigia Salvatoris? ⁶⁴

Professuri:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Prior:

Vultis, Sancti Spíritus subveniēte múnere,
professione sollémni Órdini nostro cooptári,
Deo totaliter consecrári
ac univérsæ Ecclésiæ novo modo devovéri,
íntegræ evangelizatióni verbi Dei totaliter deputáti? ⁶⁵

Professuri:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Prior eorum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perficiat.

Omnes:

Amen.

⁶³ Cf. LCO n 1, *Const. fund.*, § III.

⁶⁴ Cf. *I Const.*, d. II, c. 31; LCO, n. 1, *Const. fund.*, § II.

⁶⁵ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § III.

Supplicatio pro fratribus professuris

69. Interrogationibus expletis, omnes pro supplicatione surgunt. Sacerdos stans, manibus iunctis, ad populum conversus dicit:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos,
quos ad perfectam Christi sequélam vocávit,
benedictiónis suæ grátiam cleméner effúndat
eósque in sancto propósito
benígna pietáte confírmet.

His dictis, omnes silentio orant vel Litaníæ sanctorum (infra, in Appendice IV, nn. 71-74) ad libitum canuntur.

Professio religiosa

70. Supplicationibus expletis, professuri singuli genuflectunt ante Priorem sedentem, et suis quisque manibus positis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum superposito manibus utriusque, professionem faciunt intelligibili voce proferendo verba professionis, iuxta sequentem formulam Ordini propriam:

Ego frater *N. N.* fácio professiónem
et promítto obcædiéntiam Deo
et beátæ Mariæ et beáto Domínico
et tibi fratri *N. N.*, Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et successóribus tuis

(vel: tibi fratri N.N., Prióri provinciáli Provinciæ N.,

vel: tibi fratri N.N., delegáto...,

*vice fratris N.N., Magístri Órdinis Fratrum
Prædicátorum et successórum eius),*

secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Fratrum Prædicátorum,
quod ero obcædiens tibi tuisque successóribus,
usque ad mortem.⁶⁶

⁶⁶ LCO, n. 211.

71. Si vero tempore professionis Ordo Magistrum non habuerit, profitemens obœdientiam præsidenti promittat vice Magistri Ordinis, absque expressione cuiuscumque nominis.⁶⁷

Osculum pacis et sollemnis benedictionis oratio

72. Emissa professione, tantummodo Prior fratres profitentes recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, quo vinculum obœdientiæ et communionis significatur.

73. Tunc, nisi habenda sit sollemnis benedictionis oratio, Prior fratres nuper professos monet his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, per hanc professionem sollémnem vosmetípsos tradidístis Deo eiúsque voluntáti:
Deus ígitur per ministérium Ecclésiæ
sibi ipse vos consecrávit.⁶⁸

Vel, si placet, religiosi nuper professi genua flectunt et Prior, manibus super eos extensis, dicit benedictionis precem iuxta formularia infra in Appendice (IV, n. 76) posita.

Conclusio ritus professionis

74. Quibus expletis, fratres nuper professi ad loca sibi designata revertuntur. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Oratio fidelium (infra, in Appendice II, nn. 62-65) omittitur quando Litaníæ habitæ sunt.

LITURGIA EUCHARISTICA

75. Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnulli fratres nuper professi ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Sacrificio eucharistico, et alia dona symbolica iuxta probatas consuetudines loci.

⁶⁷ LCO, n. 199, § II.

⁶⁸ Vide supra, «Intr. gen.», n. 4.

76. In Precibus eucharisticis, professorum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur «Hanc igitur» proprium:

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ,
sed et famulorum tuorum,
quam tibi in die eorum professionis offerimus,
quæsumus, Dómine,
placatus accipe et propitiatus sanctifica;
ut qui, te largiente,
hódie vitam suam tibi dicarunt,
in Filii tui glorióso advéntu
æternæ Paschæ gáudio mereántur admítteri.
(Per Christum Dóminum nostrum.)

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba «...univérso clero» additur:

Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie se tibi dicarunt perpétuo Evangélii servítio,
et concéde ut domus oratiónis et laudis tuæ
in perpétuum⁶⁹ exsístant.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba «...pópulo acquisitionis tuæ» additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,
et fac ut in Ecclésia tua
novam et æternam vitam maniféstent
Christi redemptióne comparátam.

d) in intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba «... sed et totíus cleri» additur:

⁶⁹ Cf. MLOP, p. 254

... et istórum fratrum, qui professióne sollémni
hódie tibi árctius consecrántur,
et offeréntium
et circum adstántium ...

77. Postquam sacerdos Eucharistiam sumpsit, etiam omnes adstantes eam sub utraque specie sumere possunt, servatis semper dispositionibus Conferentiarum Episcoporum et Episcopi diócesani.

CONCLUSIO RITUS

78. Oratione post communionem expleta, fratres nuper professi ante altare sistunt et sacerdos, manibus super eos et populum extensis, dicere potest :

Deus, tanti óperis auctor et custos,
supérna sua vos tueátur grátia
ut vestráe vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

℟. Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes testimónium et signum.

℟. Amen.

Divíni sui Spíritus advocántis grátia
corda vestra efficáciter fecúndet
pro Ecclésiæ et humánæ famíliæ proféctu.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ☩ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

79. Deinde diaconus vel sacerdos fratres et adstantes dimittit dicens:

Ite, missa est.

R. Deo grátias.

80. Tunc pro opportunitate adstantes salutant fratres nuper professos, secundum loci consuetudinem, dum canitur antiphona:

Ecce quam bonum et quam iucúndum
habitáre fratres in unum.

cum Psalmo 132, vel alius congruus cantus.

CAPUT IV

RITUS RENOVATIONIS VOTORUM TEMPORARIORUM INTRA MISSAM PERAGENDUS

81. Hoc capite describitur ritus qui adhibetur cum renovatio votorum temporariorum, quæ ex Constitutionum⁷⁰ præscripto fit, intra Missam peragitur. Si autem renovatio votorum fit extra Missam, professio sine ritu peculiari coram duobus testibus renovetur.

82. Ritus renovationis votorum maxima sobrietate peragatur, præsertim cum vota ad annum renovantur.

Quando ritus in ecclesia persolvitur, professio de more fit ad sedem; opportuno presbyterii loco paretur sedes pro Priore, fratrum professionem recepturo.

83. Adhibetur "Missa diei" aut "Missa ritualis in die renovationis votorum", ad normam legum liturgicarum.⁷¹

84. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eodem professo atque a duobus testibus subscribatur,⁷² numquam vero super altare.

LITURGIA VERBI

85. In liturgia verbi, diebus quibus permittitur, lectiones vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur.⁷³

86. Post Evangelium fit homilia, in qua tum lectiones biblicæ tum vis et virtus vitæ religiosæ in Ordine nostro commemorantur.

⁷⁰ LCO, nn. 195, § II; 202; 203.

⁷¹ Cf. «Intr. gen.», nn. 17-18; *Missale Romanum*, 1975², p. 773.

⁷² LCO, n. 194.

⁷³ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

VOTORUM RENOVATIO

Divinae gratiae expostulatio

87. Homilia expleta, Prior divinum auxilium exposcere potest, dicens:

Orémus Deum Patrem,
perseverántis consílii largitórem,
pro his fámulis eius,
qui hódie coram Ecclésia
vota sua renováre inténdunt.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde Prior dicit:

Réspice, quæsumus Dómine,
super hos fámulos tuos,
quos ad Fílii tui préssius sectánda vestígia
providénti vocásti consílio;
et miserátus concéde
ut iter amóris tui,
quod álacres sunt aggréssi,
perseveránti caritáte conficiant.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Renovatio professionis

88. Oratione expleta, singuli professuri accedentes genuflectunt ante Priorem sedentem et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum superposito manibus utriusque, professionem renovant intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam:

Ego frater *N. N.* réново professiónem
et promítto obœdiéntiam Deo
et beátæ Mariæ et beáto Domínico
et tibi fratri *N. N.*, Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et successóribus tuis

(*vel*: tibi fratri *N.N.*, Prióri provinciáli Provinciæ *N.*,
vel: tibi fratri *N.N.*, delegáto...,
 vice fratris *N.N.*, Magístri Órdinis Fratrum
 Prædicátorum et successorum eius),
 secúndum régulam beáti Augustíni
 et Institutiónes Fratrum Prædicátorum,
 quod ero obœdiens tibi tuisque successoribus,
 ad biénnium (*vel*: ad annum).⁷⁴

89. Si vero tempore professionis Ordo Magistrum non habuerit, profitens obœdientiam præsidenti promittat vice Magistri Ordinis, absque expressione cuiuscumque nominis.⁷⁵

CONCLUSIO RITUS

90. Renovata professione, tantummodo Prior fratres profitentes recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, quo vinculum obœdientiæ et communionis significatur.

91. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Oratio universalis seu fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) fit modo in celebrationibus liturgicis consueto.

⁷⁴ Cf. LCO, n. 199, § I; n. 201, § I.

⁷⁵ LCO, n. 199, § II.

CAPUT V

MISSA IN XXV VEL L ANNIVERSARIO PROFESSIONIS

92. In xxv vel l anniversario professionis religiosæ peculiaris celebratio, quamvis non habeatur in traditione Ordinis, causa pietatis necnon et pastoralis actionis haberi potest, cum professionis confirmatione intra Missam.⁷⁶

93. Missa⁷⁷ celebrari potest, cum vestibus albi coloris, diebus quibus Missæ "pro variis necessitatibus" celebrari possunt, ad normam legum liturgicarum.

Post homiliam professio publice confirmari potest, ritu renovationis votorum adhibito (supra, nn. 87-91), formula autem sequenti:

Ego frater *N. N.* totaliter adhæreo professioni a me factæ
et promitto obœdiëntiam Deo
et beátæ Mariæ et beáto Domínico
et fratri *N. N.* Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et successoribus eius,
secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Fratrum Prædicatórum,
grátiam Dei implórans
qua fidéliter professiõem meam adimplére possim
usque ad mortem.

94. Pro Missæ celebratione formularium aptum hic apponitur.

Ant. ad introitum

Ps 39, 8-9

Ecce vénio, Dómine, fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui, et lex tua in præcórdiis meis.

⁷⁶ Cf. «Intr. gen.», n. 15; OPR *Pr.*, n. 7.

⁷⁷ Cf. *Missale Romanum*, 1975², p. 774.

Collecta

Dómine, Deus fidélis,
 da nobis, quæsumus, grátias tibi reférre
 pro tua erga fratrem nostrum *N.* (*vel: me*) benignitáte,
 qui accéptum a te donum
 hódie confirmáre inténdit (*vel: inténdo*).
 Róbora in eo (*vel: me*) spíritum perféctæ caritátis,
 ut glóriæ tuæ et óperi salútis
 in dies váleat (*vel: váleam*) fervéntius inservíre.
 Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine,
 una cum munéribus oblatiónem sui (*vel: mei*)
 quam hódie frater noster *N.* (*vel: ego*)
 confirmáre desíderat (*vel: desídero*),
 et per virtútem Sancti Spíritus
 imágini dilécti Fílii tui
 ámplius eum (*vel: me*) conformáre dignéris.
 Qui vivit et regnat.

Præfatio propria (cf. infra, in Appendice III).

*Ant. ad communionem**Gal 2,19-20*

Christo confíxus sum cruci. Vivo autem, iam non ego:
 vivit vero in me Christus.

*Vel, in cantu:**Mt 6,33*

Primum quærite regnum Dei
 et ómnia adiciéntur vobis,
 dicit Dóminus.

Post communionem

Súmptimus, Dómine, Corpus et Ságuinem Fílii tui,
quæ in iucúnda celebratióne huius anniversárii contulísti;
concéde, quæsumus, ut frater noster *N.* (*vel: ego*),
cælésti pane potúque reféctus,
incépti itíneris ad te ducéntis
felícem progréssum obtíneat (*vel: obtíneam*).
Per Christum.

In fine Missæ opportune canitur resp. *O spem miram* (AG, p. 871) vel *Média vita* (AG, p. 106) vel *Dómine Deus* (GOP, p. 356; GR, p. 401) vel alius cantus aptus.

PARS SECUNDA

ORDO
RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS
MONIALIUM

PROŒMIUM

1. EX ANTIQUA CONSUETUDINE,¹ novitiorum receptio in Ordinem traditione habitus perficitur tamquam verus admissionis ritus; ideoque ritualis “vestitio” initio novitiatus² perficienda collocatur, utpote “signum receptionis” in Ordinem, nondum vero “consecrationis”, quæ per professionem habetur.³

Ubi autem habitus, iuxta Directorii determinationem,⁴ nonnisi in die primæ professionis suscipiatur, in receptione novitiarum habitus traditio (infra, nn. 16-17) omittitur.

2. In Ordine duplex fit professio: prima simplex et temporaria post novitiatum, altera vero sollemnis et exinde perpetua.⁵

Duplex igitur habetur ritus recipiendi ad professionem:
– ritus professionis simplicis seu temporariæ;
– ritus professionis sollemnis seu perpetuæ.

Qui quidem ritus ita distinguantur oportet ut “discrimen liturgicum” inter professionem sollemnem et professionem simplicem accurate servetur.⁶

3. Professio autem emittitur sub unica formula Ordini nostro propria,⁷ temporis tantum indicatione mutata.⁸

¹ Cf. *I Const.*, d. I, c. 14; *Directorium XII*, pp. 116-118; Humbertus II, pp. 525-527.

² Vide supra, «Intr. gen.», adn. 44.

³ Vide supra, «Intr. gen.», n. 7.

⁴ Cf. LCM, n. 140, § II.

⁵ LCO, n. 190; cf. supra, «Intr. gen.», nn. 9.12.13.

⁶ OPR *Pr.*, n. 14, c.

⁷ Cf. supra, «Intr. gen.», n. 7.

⁸ LCM, nn. 157, § I et 167, § II.

CAPUT I

RITUS RECEPTIONIS NOVITIARUM

DE MODO RECIPIENDI NOVITIAS IN ORDINEM

4. Antequam novitiatus incipiat, coram Consilio monasterii vel cœtu pro candidatæ admissione fiat postulanti "declaratio et protestatio"⁹ circa vitæ religiosæ et legum Ordinis observantiam, ut infra in Appendice (V, n. 79), iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

5. Die quo novitiatus canonicus incipit ritum peragere præstat, qui sua ipsius natura peragi debet extra Missam,¹⁰ separatim quoque a professionis ritibus. Coniungi vero potest celebrationi alicuius partitis Liturgiæ Horarum — Laudum præcipue aut Vesperarum — vel peculiari verbi Dei celebrationi, quæ naturam vitæ religiosæ contemplativæ et indolem propriam Ordinis nostri illustret.

6. Ritus sit admodum simplex, sobrius, monialibus præsertim reservatus. Ad ipsum ritum peragendum aula capitularis vel alius similis locus convenienter deligitur. Ubi autem propinqui vel sodales ex aliis cœtibus Familiæ Dominicanæ sint admittendi,¹¹ ritus in monasterii ecclesia peragi potest.

7. Ritui præest Priorissa monasterii in quo postulans recipitur vel Suppriorissa in capite vel monialis ab eis delegata.¹² Quæ omnes nomine "Priorissæ" hic infra indicantur.

Adesse potest etiam Frater Ordinis, a Priorissa invitatus.

8. Novitiatus incipit intimatione facta a Priorissa quæ candidatam ad habitum recipit. De hac intimatione fiat registratio, a novitia et a duabus testibus subscripta, in libro admissionum.¹³

⁹ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

¹⁰ Cf. OPR *Pr.*, n. 12.

¹¹ Vide supra, «Intr. gen.», n. 11.

¹² Cf. LCO, n. 175.

¹³ LCM, n. 140, § I.

RITUS INITIALES

9. Ritus opportune incipit salutatione Priorissæ, quæ pro opportunitate — scilicet, si prævia quædam ritus explicatio non est habita — poterit paucis verbis, monitionis instar, sensum celebrationis adstantibus explanare. Sequitur cantus *Veni Creátor* aliusve hymnus.

Interrogatio

10. Deinde Magistra novitiarum comitatur postulante in medium capituli, ubi ipsa se prosternit.

Tunc Priorissa — induta cappa Ordinis, si mos est — postulantis voluntatem exquirat dicens:

Quid quæris?

Candidata respondet:

Misericórdiam Dei et vestram.¹⁴

* * *

11. Tunc Priorissa pro opportunitate adstantes ad orationem invitat, his vel similibus verbis:

Orémus pro ista soróre nostra
quæ in monastérium nostrum récipi petit,
ut divínus Magíster ipsi tríbuat
abundántiam sui Spíritus et suæ pacis solácium.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

¹⁴ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

12. Deinde Priorissa dicit:

Deus, sanctæ vocatiónis largitor,
qui ut viri evangélici¹⁵ exémplum
beátum Domínicum Ecclésiæ donásti,
fámulæ tuæ *N.* supplicatiónes benígnus exáudi,
quæ, ut tibi perféctius desérviat,
nostræ petit aggregári familiæ;
et concéde propítius
ut commúnis vita in mútuam dilectiÓNem convertátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

* * *

Deinde Priorissa dicit:

Surge.

Tunc postulans ad locum suum redit, et omnes sedent.

VERBI DEI CELEBRATIO

13. Deinde leguntur sacrarum Scripturarum textus apti, qui novitatem vitæ per baptismum acceptam memorent, ad indicandum nexum vitæ religiosæ cum baptisate aliisque initiationis christianæ vitæ sacramentis, congruentibus interiectis responsoriis (cf. infra, in Appendice I).

14. Quibus peractis, præ oculis habens Scripturarum lectiones, Priorissa vel Frater Ordinis communitatem sororum et postulantes adloquitur de vitæ contemplativæ natura atque de Ordinis nostri charismate proprio, eiusdem præcipuas exigentias et austeritates¹⁶ illustrans.

¹⁵ Iordanus, n. 104.

¹⁶ Cf. PS, pp. 149-153.

RECEPTIO POSTULANTIS

Interrogationes

15. In fine sermonis, Priorissa invitat postulanti ad surgendum et voluntatem eius requirit, his vel similibus verbis, unam vel plures interrogationes seligens:

Vis, firma intentione,
in novitate vitae fideliter ambulare?

Postulans respondet:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.¹⁷

Priorissa:

Vis Dominum Iesum sequi
secundum beati Domini evangelicum propositum?

Postulans:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.

Priorissa:

Vis ergo in nostram recipi familiam,
ad conversationem nostram experiendam
in perfecta regulari observantia?

Postulans:

Volo, cum adiutorio Dei et vestro.

Tunc Priorissa eius voluntatem confirmat dicens:

Dominus qui incepit, ipse perficiat.¹⁸

¹⁷ *Directorium* XI, 9, p. 118.

¹⁸ *I Const.*, d. I, c. 13.

Et adstantes respondent:

Amen.

Vestitio seu traditio habitus

16. Tunc Magistra novitiarum postulantem ducit ad Priorissam et facit genuflectere coram ea; et vestiaria portans vestes præparatas, eas Priorissæ porrigit. Priorissa, adiuvante Magistra novitiarum, loco apto postulantem induit habitu Ordinis novitiis proprio (cf. n. 1).

Vestitione peracta, Priorissa novitiam recipit ad osculum pacis, utpote signum receptionis in Ordinem et admissionis in fraternitatem monasticam.

Dum novitia induitur, omnibus genua flectentibus canitur hymnus *Veni Creátor*,¹⁹ nisi prius cantatus fuerit, aut chorus canit antiphonam *Immutémur hábitu* (MLOP, p. 6) cum psalmo 39 (*Exspéctans exspéctávi Dóminum*), vel alium congruum cantum.

17. Vel, si talis est consuetudo Monasterii, Priorissa habitum novitiarum tradit candidatæ aliqua parte novitiatus expleta,²⁰ congrua vero celebratione disposita.

Quo in ritu, Magistra novitiarum candidatam ducit ad Priorissam et facit genuflectere coram ea, quæ habitu eam induit vel habitum ipsi in manus tradit, dicens;

Præstet tibi Dóminus

véterem hóminem exúere, cum áctibus suis,
et novum indúere hóminem, qui secúndum Deum creátus est,
in iustítia et sanctitáte veritátis.²¹

Quo facto, Priorissa novitiam recipit ad osculum pacis, utpote signum receptionis in Ordinem et admissionis in fraternitatem monasticam.

18. Tunc, si ritus in capitulo fuerit peractus, egredi potest communitas processionaliter ad ecclesiam, iunioribus præcedentibus, Magistra novitiarum vel alia moniali ducente novitiam usque ad chorum monialium. In processione canitur hymnus vel psalmus aptus.

¹⁹ Cf. COP, p. 123, n. 486.

²⁰ Cf. supra, «Intr. gen.», adn. 44.

²¹ Cf. *Eph* 4, 24.

Oratio universalis

19. Deinde fieri potest oratio universalis, modo in celebrationibus consueto, iuxta formularium quod in Appendice (II, nn. 62-65) affertur. Petitionibus expletis dicitur *Oratio dominica*.

Receptio fraterna et intimatio novitiatu

20. Postea novitia eat dando pacem unicuique sororum, dum canitur ps. 132 *Ecce quam bonum* vel ant. *Ubi caritas* vel ant. *O spem miram* vel alius cantus congruus.

21. Quibus expletis, Magistra novitiam iterum ad Priorissam ducit, quæ ei — si opportunum videtur — aliud nomen, christianum scilicet, addere potest, dicens :

Ex baptismo est nomen tuum *N.*,
in Órdine vocaberis soror *N.N.*²²

Deinde Priorissa intimatione²³ anni canonici novitiatu tempus probationis assignat novitiamque curæ Magistræ tradit, eam monens his vel similibus verbis:

Ecce, fília, tu recepísti misericórdiam Dei et nostram
iam ex parte,
quia dédimus tibi hábitum nostrum ad probatióem:
restat tibi fácere professiÓem,
ut ipsam misericórdiam nostram possis habére compléte.
Et quia forte mores Religiónis non placébunt tibi,
aut mores tui non placébunt nobis,
ídeo auctoritáte Ecclésiæ et Órdinis
tibi concédo unum annum,
ut tu possis probáre mores nostros et nos mores tuos.

²² Cf. PS, p. 155.

²³ Cf. LCM, n. 140, § I.

Et si tibi placébit nobíscum vívere
 et nobis placébit conversátio tua
 recipiémus te ad professionem:
 álias et nos et tu érimus in libertáte.

Conáre ergo iugum hoc pro amóre Dei libénter ferre
 et Magistræ tuæ in ómnibus obcædíre tamquam mihi.²⁴

Vel:

Iura volunt quod ingrediéntibus nostrum Órdinem,
 tempus probatiónis, annus vidélicet, assignétur.

Et ego — auctoritáte officii quo fungor —
 unum annum tibi pro témpore probatiónis assígnó,
 sub ductu soróris *N. N.* percurréndum,
 quæ te de Órdine nostro docébit.

Infra hoc tempus, soróres probábunt mores tuos
 et tu probábis vires tuas
 ad austeritátes Órdinis eiúsque múnere sustinénda.
 Quo anno elápsó, póteris,
 si tibi et soróribus placúerit,
 per professionem Órdini obligári;
 sin autem, póteris de te, prout vidébitur, ordináre.²⁵

22. Si secundum consuetudines monasterii novitiæ librum Constitutionum vel insignia quædam tradi placet, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

Si non sequitur aliqua pars Liturgiæ Horarum, ritus concluditur ut sequitur.

CONCLUSIO RITUS

23. His omnibus peractis, Priorissa adstantes ad orationem invitatur, dicens:

²⁴ Cf. PS, p. 155.

²⁵ *Directorium* XI, 8, p. 118 ; cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

Imitémur, soróres, ut póssumus,
 sancti patris Domínici vestígia,
 simul et agámus grátias Redemptóri
 qui talem in via hac, qua ambulámus,
 ducem exhibuit servis suis,
 per eum nos in huius conversatiónis lucem regénerans;
 et deprecémur misericordiárum Patrem,
 ut illo nos regénte Spíritu, quo filii Dei agúntur,
 per términos quos posuérunt patres nostri
 ad eándem metam perpétuæ felicitátis
 et sempitérnæ beatitúdinis,
 ad quam ille sine fine felix introívit,
 nos quoque indefléxo trámite pertíngere mereámur.²⁶

Orémus.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant; deinde Priorissa prosequitur:

Deus, qui renuntiántibus sáeculo
 mansiónes paras in cælo,
 diláta corda nostra cæléstibus bonis,
 ut concórdet nostra vita cum nómine
 et proféssio sentiátur in ópere.
 Per Christum Dóminum nostrum.²⁷

℟. Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

24. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, antiphona *Salve Regína* vel alio cantu; quo expleto, adstantes novitiam salutant secundum loci consuetudinem.

²⁶ Cf. Iordanus, n. 109.

²⁷ Cf. MOP, p. [87].

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS

DE MODO RECIPIENDI AD PROFESSIONEM

25. Ritus professionis, ex Ordinis consuetudine,²⁸ in aula capitulari vel in choro peragitur; rationabili vero de causa in ecclesia monasterii fieri potest, sive in connexione cum aliqua divini Officii Hora sive intra Missam,²⁹ iuxta hodiernam consuetudinem.

26. Ritui ad recipiendam professionem ordinarie præest, præter Magistrum Ordinis, Priorissa vel Suppriorissa in capite monasterii in quo professio emittitur, vel earum delegata.³⁰ Quæ omnes nomine "Priorissæ" hic infra indicantur.

27. Antequam ad primam professionem novitia admittatur, denuo fiat ipsi, coram Consilio monasterii vel cœtu pro candidata admissione, "declaratio et protestatio"³¹ circa vitæ religiosæ et legum Ordinis observantiam, ut in Appendice (V, n. 79) traditur, iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

28. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eadem professa atque a duabus testibus subscribatur,³² numquam vero super altare.

29. In hoc Rituali illi professionis ritus præbentur qui intra Missam peraguntur. Quando autem extra Missam professio emittitur vel renovatur, ritus est pro opportunitate aptandus, congruis elementis selectis, ut infra, nn. 53-54.

²⁸ Cf. supra «Intr. gen.», n. 7.

²⁹ Cf. OPR *Pr.*, n. 5.

³⁰ LCM, n. 156.

³¹ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

³² LCM, n. 159.

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

30. Quando ritus professionis in ecclesia persolvitur, professio de more fit ad sedem. In presbyterio vel in choro omnia disponantur ut etiam alii fideles celebrationi convenienter possint adesse, attentis quidem generalibus Ecclesiae legibus et particularibus adiunctis.

31. Adhibetur "Missa de die" aut "Missa ritualis in die primae professionis religiosae", ad normam legum liturgicarum.³³

Eucharistia opportune a Fratре Ordinis celebratur, ministrante diacono.

RITUS INITIALES

32. Actio liturgica opportune incipit cantu introitus. Novitia professura habitu religionis adest induta, velo autem professorum excepto.

LITURGIA VERBI

33. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, praeter haec :

a) lectiones, diebus quibus permittitur, vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quae in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur;³⁴

b) Symbolum dicitur, si rubricis liturgiae diei praescribitur.

PROFESSIO RELIGIOSA

Interrogatio

34. Dicto Evangelio, chorus manet versus ad altare. Novitia professura venit in medium chori, ubi se prosternit.

Tunc Priorissa eius voluntatem exquirat dicens:

³³ Cf. «Intr. gen.», nn. 17-18.

³⁴ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

Quid quæris?

Professura respondet:

Misericórdiam Dei et vestram.³⁵

Priorissa subiungit:

Surge.

Tunc professura ad locum suum redit et omnes sedent.

Homilia seu allocutio

35. His peractis, professura quoque sedet et habetur homilia sacerdotis, in qua opportune illustrantur tum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum iuxta indolem vocationis et missionis Ordinis nostri atque munus vitæ contemplativæ ad electarum sanctificationem atque ad Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

36. Homilia expleta, Priorissa ad professuram conversa quærit:

Vis fácere professionem
secúndum Constitutiónes Moniálium Órdinis Prædicatórum?³⁶

Professura surgens respondet:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.³⁷

Priorissa:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.³⁸

³⁵ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

³⁶ Cf. CMS, p. 11.

³⁷ *Directorium XI*, 9, p. 118.

³⁸ *I Const.*, d. I, c. 13.

Omnes:

Amen.

37. Vel, si placet, Priorissa voluntatem requirit professuræ, coram ea stantis, interrogationibus quæ sequuntur vel istis similibus.

Priorissa:

Fília (Soror) dilectíssima,
quam aqua et Spíritus Deo sacrávit,
vis novo professiónis religiósæ título
árctius Christo et Ecclésiæ coniúngi?³⁹

Professura :

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa :

Vis perféctæ caritátis viam íngredi
et, soli Deo vacans,
“sanctæ prædicatióni” beáti Domínici
oratióne et pæniténtia adsociári?⁴⁰

Professura:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vis, ad vestígia Salvatóris nostri sequénda,⁴¹
vitam commúnem unánímiter ágere,
in consiliórum evangelicórum professiÓne fidélis,
in stúdio veritátis fervens,
corde ardénti Scriptúras méditans,

³⁹ Cf. LCM, n.19, § II.

⁴⁰ Cf. LCM, n. 1, *Const. fund.*, § I.

⁴¹ Cf. *I Const.*, d. II, c. 31.

oratióni instans, álacrem pæniténtiam exércens,⁴²
ad Dei glóriam et tuam aliorúmque salútem?⁴³

Professura:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Priorissa eius voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.

Omnes:

Amen.

Professio religiosa

38. Tunc Priorissa vadit ad sedem in presbyterio paratam. Novitia professura ante eam genuflectit et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum superposito manibus utriusque, professionem facit intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam:

Ego soror *N. N.* fácio professiónem
et promítto obcædiéntiam Deo
et beátæ Mariæ et beáto Domínico
et Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et tibi soróri *N. N.* Prioríssæ huius monastérii *N.*
et successóribus tuis

(*vel*: tibi soróri *N.N.*, Supprioríssæ in cápite
huius monastérii *N.*,

vel: tibi soróri *N.N.*, delegátæ...,
vice soróris *N.N.*, Prioríssæ huius monastérii *N.*
et successórum eius),

secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Moniálium Órdinis Prædicatórum,

⁴² Cf. LCM, n. 1, *Const. fund.*, § V.

⁴³ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § IV.

quod ero obœdiens tibi tuisque successoribus,
ad triënnium (*vel*: ad annum).⁴⁴

39. Nihil immutatur in formula professionis quando Ordo Magistro suo caret.⁴⁵

Osculum pacis

40. Emissa professione, tantummodo Priorissa sororem profitentem recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, quo vinculum obœdientiæ et communionis significatur.

Benedictio habitus et traditio veli

41. Quibus peractis sacerdos vestes profitentis benedicit, iunctis manibus:

Orémus.

Deus, sanctitátis auctor et consummátor,
qui renátas ex aqua et Spíritu Sancto
ad vitæ christiánæ plenitúdinem
et caritátis perfectiónem vocas:
hanc fámulam tuam propítius réspice
quam, Matre Misericórdiæ auxiliánte,
novi hábitus dono
in signum eius speciális protectiónis,
ad præparatióem evangélii pacis⁴⁶ locupletásti;
et præsta ut Christi Fílii tui imágini confórmis efficiátur
et huius vitæ cursu feliciter consummáto,
redimíta glória, in gáudium domus tuæ intráre mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.⁴⁷

℟. Amen.

⁴⁴ Cf. LCM, n. 157, § I.

⁴⁵ LCM, n. 157, § II.

⁴⁶ Cf. Iordanus, n. 57.

⁴⁷ Cf. DB, n. 1218, p. 466.

Vel:

Dómine Iesu Christe,
qui tégimen nostræ mortalitátis indúere dignátus es:
obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam,
ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres
ad innocéntiæ et sanctitátis indícium ferre sanxérunt,
ita bene ꝛ dícere dignéris
ut quæ hoc usa fúerit te indúere mereátur,
quí vivis et regnas in sæcula sæculórum.⁴⁸

ꝛ. Amen.

42. Deinde sacerdos præscriptum velamen novum tradit professæ,
dicens:

Áccipe velámen sacrum
quo agnoscáris
domus oratiónis⁴⁹ esse Dómino tuo
et templum intercessiónis pro cunctis homínibus.

Professa respondet:

Amen.

Tunc Priorissa, adiuvente Magistra novitiarum, professam velamine tegit.
Deinde sacerdos professam aqua benedicta aspergit.

Interea chorus cantat ant. *Veni, sponsa Christi* (AG, p. 89*) vel *Pósuit signum* (COP, p. 13) vel alium cantum aptum.

* * *

43. Deinde Priorissa, ubi mos est, nuper professæ librum Constitutio-
num tradit, dicens:

⁴⁸ *Eccl. Off.*, f. 51r A; cf. PS, p. 157.

⁴⁹ Cf. *Lc* 19, 46.

Áccipe Constitutiónes moniálium Órdinis Prædicatórum
velut spéculum tuæ fidelitátis divínæ vocatióni,
ad vitam agéndam salutárem tibi, exemplárem homínibus,
iucúndam ángelis, gratam Deo.⁵⁰

Professa respondet:

Amen.

44. Si vero secundum consuetudines monasterii alia professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

* * *

Conclusio ritus professionis

45. Cum monialis nuper professa ad locum suum redierit ibique steterit, Symbolum dicitur si rubricis liturgæ dici præscribitur. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium (cf. infra in Appendice II, nn. 62-65).

DIMISSIONE

46. Oratione post communionem expleta, sacerdos moniales et adstantes benedicit:

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, et Spírítus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

⁵⁰ Cf. LCM, n. 1, *Const. fund.*, § VI.

47. Altera benedictionis formula:

Deus Pater
sua vos tueatur grátia
ut vestrae vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

℟. Amen.

Dóminus Iesus
bonórum regni cæléstis in Ecclésia
testes vos fáciat.⁵¹

℟. Amen.

Spíritus Sanctus
fortíficet corda vestra
et súggerat vobis omnem veritátem.

℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ⁊ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

48. Deinde diaconus vel sacerdos moniales et adstantes dimittit
dicens:

Ite, missa est.

℟. Deo grátias.

49. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationi-
bus in Ordine, antiphona *Salve Regína* vel alio cantu; quo expleto, adstantes
salutant monialem nuper professam secundum loci consuetudinem.

⁵¹ LCM, n.152, § II.

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS EXTRA MISSAM PERAGENDUS

50. Quando ritus professionis simplicis extra Missam peragitur,⁵² inseri potest in celebrationem verbi Dei, modo sequenti:

a) post cantum aptum, fit interrogatio novitiæ (n. 34);

b) sequitur lectio verbi Dei, cui respondetur cantu psalmi apti (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Priorissæ;

c) postea ipse ritus professionis habetur: interrogationes (nn. 36-37), professionis formula (nn. 38-39), osculum pacis (n. 40), benedictio habitus (n. 41), traditio veli (n. 42) et, si mos est, symbolorum professionis (nn. 43-44);

d) ritus concludi potest oratione universali (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) — addita, si placet, *Oratione dominica* — et benedictione sollemni (n. 47).

51. Quando autem ritus intra Liturgiam Horarum peragitur (præsertim Laudum vel Vesperarum), proceditur modo sequenti :

a) post hymni cantum, fit interrogatio novitiæ (n. 34);

b) sequuntur psalmodia et lectio verbi Dei, quod seligi potest ex textibus in Lectionario præbitis (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Priorissæ;

c) postea ipse ritus professionis habetur : interrogationes (nn. 36-37), professionis formula (nn. 38-39), osculum pacis (n. 40), benedictio habitus (n. 41), traditio veli (n. 42) et, si mos est, symbolorum professionis (nn. 43-44);

d) canitur postea *Canticum Zachariæ* vel *Magnificat*;

e) deinde dicitur oratio universalis seu fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65);

f) ritus concluditur recitatione *Orationis dominicæ*, oratione finali et benedictione sollemni (n. 47).

⁵² Cf. «Intr. gen.», n. 12.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS SOLLEMNIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

DE MODO RECIPIENDI AD PROFESSIONEM

52. Professionis sollemnis ritus, Familiæ Dominicanæ sodalium populique concursu, in ecclesia monasterii intra Missam peropportune persolvitur. Fideles autem de die atque hora tempestive certiores fiant, quo frequentiores accurrere possint.

53. Ad professionis ritum peragendum, quo monialis Deo in perpetuum mancipatur, laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitas Domino, beatæ Mariæ vel Sanctis, nostri Ordinis præsertim, dicata, servatis semper de iure servandis.

54. Ritus peragitur separatim a ceteris professionis ritibus.⁵³ Congrua autem sollemnitate celebretur, ut ritus natura postulat, decora tamen illa sobrietate servata, quæ Ordini nostro convenit.

55. Professio de more fit ad sedem; in presbyterio vel in choro omnia disponantur ut etiam alii fideles celebrationi convenienter possint adesse, attentis quidem generalibus Ecclesiæ legibus et particularibus adiunctis.

56. Ubi fieri potest, Missa concelebrata præferatur, cui pro opportunitate Frater Ordinis præsit.

57. Adhibetur "Missa de die" aut "Missa ritualis in die professionis perpetuæ", ad normam legum liturgicarum.⁵⁴

58. Antequam ad professionem sollemnem monialis admittatur, denuo fiat ipsi, coram Consilio monasterii vel cœtu pro candidata

⁵³ Cf. OPR *Pr.*, n. 8; OPR II, n. 44.

⁵⁴ Cf. «Intr. gen.», nn. 17-18.

admissione, “declaratio et protestatio”⁵⁵ circa vitæ religiosæ et legum Ordinis observantiam, ut in Appendice (V, n. 79) traditur, iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

59. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eadem professa atque a duabus testibus subscribatur,⁵⁶ numquam vero super altare.

LITURGIA VERBI

60. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc :

a) lectiones, diebus quibus permittitur, vel e “Missa diei” vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur;⁵⁷

b) Symbolum dicitur, si rubricis liturgiæ diei præscribitur.

PROFESSIO RELIGIOSA

Interrogatio

61. Dicto Evangelio, chorus manet versus ad altare. Soror professura venit in medium chori, ubi se prosternit.

Tunc Priorissa professuram interrogat dicens:

Quid quæris?

Professura respondet:

Misericórdiam Dei et vestram.⁵⁸

Priorissa subiungit:

Surge.

Tunc professura ad locum suum redit et omnes sedent.

⁵⁵ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

⁵⁶ LCM, n. 159.

⁵⁷ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

⁵⁸ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

Homilia seu allocutio

62. His peractis, fit homilia seu allocutio sacerdotis, in qua opportune illustratur donum vitæ contemplativæ, quam “sanctæ prædicationi” beatus Dominicus adsociavit.⁵⁹

Interrogationes

63. Expleta homilia, Priorissa ad professuram conversa quærit:

Vis fácere professionem sollémnem
secúndum Constitutiónes Moniálium Órdinis Prædicatórum? ⁶⁰

Professura surgens respondet:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.⁶¹

Priorissa:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.⁶²

Omnes:

Amen.

64. Vel, si placet, Priorissa voluntatem requirit professuræ, coram ea stantis, interrogationibus quæ sequuntur vel istis similibus.

Priorissa:

Fília (Soror) dilectíssima,
iam per baptísmum peccáto mórtua ac Dómino sacráta,
vis sollémnis professionis título
árctius Christo et Ecclésiæ coniúngi?⁶³

⁵⁹ Cf. LCM, n.1, *Const. fund.*, § I.

⁶⁰ Cf. CMS, p. 17.

⁶¹ *Directorium XI*, 9, p. 118.

⁶² *I Const.*, d. I, c. 13.

⁶³ Cf. LCM, n.19, § II.

Professura:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vis in caritate Dei et proximi proficere⁶⁴
et membrum Christi veraciter esse
temetipsam totaliter lucrificandis animabus impendens,
sicut Salvator omnium Dominus Iesus seipsum totum obtulit
in nostram salutem?⁶⁵

Professura:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vis professione sollénni Órdini nostro cooptári
ut, cum María Matre Iesu in oratione perseverans,
plenitudinem Spíritus ardenter desíderes,
Deo totaliter consecrata
ac univérsæ Ecclésiæ novo modo devóta,
ad Christi beatitudinem prophétice nuntiándam
et pópulum Dei arcána fecunditate dilatándum?⁶⁶

Professura:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Priorissa eius voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.

Omnes:

Amen.

⁶⁴ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § III.

⁶⁵ Cf. LCM, n. 1, *Const. fund.*, § II.

⁶⁶ Cf. LCM, n. 1, *Const. fund.*, §§ IV et V.

Supplicatio pro moniali professura

65. Interrogationibus expletis, omnes pro supplicatione surgunt. Sacerdos stans, manibus iunctis, ad populum conversus dicit:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hanc fámulam,
quam ad perféctam Christi sequélam vocávit,
benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat
eámque in sancto propósito
benígna pietáte confírmet.

His dictis, omnes silentio orant vel Litaníæ sanctorum (App. IV, nn. 71-74) ad libitum habentur.

Professio religiosa

66. Deinde Priorissa vadit ad sedem in presbyterio paratam. Professura ante eam genuflectit et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum superposito manibus utriusque, professionem facit intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam:

Ego soror *N. N.* fácio professiónem
et promítto obcædiéntiam Deo
et beátæ Maríæ et beáto Domínico
et Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et tibi soróri *N. N.* Prioríssæ huius monastérii *N.*
et successóribus tuis

(*vel: tibi soróri *N.N.*, Supprioríssæ in cápite
huius monastérii *N.*,*

*vel: tibi soróri *N.N.*, delegátæ...,
vice soróris *N.N.*, Prioríssæ huius monastérii *N.*,
et successórum eius),*

secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Moniálium Órdinis Prædicatórum,

quod ero obœdiens tibi tuisque successóribus,
usque ad mortem.⁶⁷

67. Nihil immutatur in formula professionis quando Ordo Magistro suo caret.⁶⁸

Osculum pacis et sollemnis benedictionis oratio

68. Emissa professione, tantummodo Priorissa sororem profitentem recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, quo vinculum obœdientiæ et communionis significatur.

69. Tunc, nisi habenda sit sollemnis benedictionis oratio, sacerdos monialem nuper professam his vel similibus verbis monet:

Soror caríssima, per hanc professionem sollémnem
temetípsam tradidísti Deo eiúsque voluntáti:
Deus ígitur per ministérium Ecclésiæ
sibi ipse te consecrávit⁶⁹
ad præparatióem evangélii pacis,⁷⁰
ut própria sis heréditas eius
idémque sit heréditas tua in ætérnum.

Vel, si placet, monialis nuper professa genua flectit et sacerdos, manibus super eam extensis, dicit benedictionis precem iuxta formularia in Appendice (IV, n. 77) posita.

Benedictio et impositio veli

70. Deinde sacerdos, ubi mos est, præscriptum velamen benedicit, dicens:

Caput ómnium fidélium Deus, et totíus córporis Salvátor,
hoc operiméntum veláminis, .

⁶⁷ Cf. LCM, n. 167, § II.

⁶⁸ LCM, n. 157, § II.

⁶⁹ Vide supra, «Intr. gen.», n. 4.

⁷⁰ Cf. Iordanus, n. 57.

quod fámula tua propter tuum tuáque beatíssimæ Genitrícis
 semper Vírginis Mariæ amórem
 suo cápiti impositúra est,
 tua délixtera béneædic :
 et hoc, quod per illud mýstice datur intélligi,
 tua semper custódia
 córporè et ánimò incontamináto custódiat
 ut quando ad perpétuam sanctórum remuneratióem vénerit,
 cum prudéntibus et ipsa vírgínibus præparáta,
 te perducénte,
 ad perpétuæ felicitátis núptias intráre mereátur.
 Per Christum Dóminum nostrum.⁷¹

R. Amen.

Deinde Priorissa professam velamine tegit, dum canitur resp. *Amo Christum* (CMS, p. 24) vel alius cantus.

Conclusio ritus professionis

71. Si vero secundum leges vel consuetudines monasterii quædam professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

72. Quibus expletis, professa redit ad locum suum, in chorum. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Oratio fidelium (infra, in Appendice II, nn. 62-65) omittitur quando Litanix habitæ sunt.

LITURGIA EUCHARISTICA

73. In Precibus eucharisticis, professæ oblatio secundum has formulas opportune commemoratur :

a) in Prece eucharistica I dicitur «Hanc ígitur» proprium:

⁷¹ CMS, p. 23.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et fámulæ tuæ,
quam tibi in die eius professiõnis offérimus,
quæsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicávit,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio mereátur admítte.
(Per Christum Dóminum nostrum).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba «...univérso clero» additur:

Recordáre quoque, Dómine, istíus soróris,
quæ hódie se tibi dicávit perpétuo servítio,
et concéde ut intercessiõnis templum
atque domus oratiõnis et laudis tuæ
in perpétuum⁷² exsístat.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba «...pópulo acquisitiõnis tuæ» additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
hanc fámulam tuam,
quæ hódie sacris religiõnis vínculis
perpétuo tibi se devínxit,
et fac ut in Ecclésia tua
novam et ætérnám vitam maniféstet
Christi redemptiõne comparátam.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba «... sed et totíus clerí» additur:

⁷² Cf. MLOP, p. 254.

... et istius soróris, quæ professióne sollémni
hódie tibi árctius consecrátur,
et offeréntium
et circum adstántium ...

74. Postquam sacerdos Eucharistiam sumpsit, etiam omnes adstantes eam sub utraque specie sumere possunt.

CONCLUSIO RITUS

75. Oratione post communionem expleta, ritus concluditur benedictione sacerdotis super monialem nuper professam et super omnes adstantes:

Deus, tanti óperis auctor et custos,
supérna sua te tueátur grátia
ut tuæ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persólvas.

℟. Amen.

Ipse divínæ te fáciat caritátis
coram ómnibus testimónium et signum,
ut pópulus Dei prompta respóndeat actuositáte.

℟. Amen.

Divíni sui Spíritus advocántis grátia
cor tuum efficáciter fecúndet
pro Ecclésiæ et humánæ famíliæ proféctu.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ☩ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

76. Deinde diaconus vel sacerdos moniales et adstantes dimittit dicens:

Ite, missa est.

℟. Deo grátias.

77. Tunc adstantes monialem nuper professam salutant, secundum loci consuetudinem, dum canitur antiphona :

Ecce quam bonum et quam iucúndum
habitáre fratres in unum.

cum Psalmo 132, vel alius congruus cantus.

CAPUT IV

RITUS RENOVATIONIS VOTORUM TEMPORARIORUM INTRA MISSAM PERAGENDUS

78. Hoc capite describitur ritus qui adhibetur cum renovatio votorum, quæ ex Constitutionum⁷³ præscripto fit, intra Missam peragitur, maxima tamen sobrietate servata. Si autem renovatio votorum fit extra Missam, professio sine ritu peculiari coram duabus testibus renovetur.

79. Adhibetur "Missa diei" aut "Missa ritualis in die renovationis votorum", ad normam legum liturgicarum.⁷⁴

80. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eadem professa atque a duabus testibus subscribatur,⁷⁵ numquam vero super altare.

LITURGIA VERBI

81. In liturgia verbi, diebus quibus permittitur, lectiones vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur.⁷⁶

82. Post Evangelium fit homilia, in qua tum lectiones biblicæ tum vis et virtus vitæ religiosæ contemplativæ in Ordine nostro commemorantur.

VOTORUM RENOVATIO

Divinæ gratiæ expostulatio

83. Homilia expleta, sacerdos divinum auxilium exposcere potest, dicens:

⁷³ LCM, n.155, § I.

⁷⁴ Cf. «Intr. gen.», nn.17-18; *Missale Romanum*, 1975², p. 773.

⁷⁵ LCM, n. 159.

⁷⁶ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

Orémus Deum Patrem,
perseverántis consílii largitórem,
pro hac fámula eius,
quæ hódie coram Ecclésia
vota sua renováre inténdit.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde sacerdos dicit:

Réspice, quæsumus Dómine,
super hanc fámulam tuam,
quam ad Fílii tui préssius sectánda vestígia
providénti vocásti consílio;
et miserátus concéde
ut iter amóris tui,
quod álacris est aggréssa,
perseveránti caritaté conficiat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Renovatio professionis

84. Oratione expleta, Priorissa vadit ad sedem in presbyterio paratam. Professura ante eam genuflectit et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum superposito manibus utriusque, professionem renovat intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam:

Ego soror *N. N.* réново professiónem
et promítto obœdiéntiam Deo
et beátæ Maríæ et beáto Domínico
et Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et tibi soróri *N. N.* Prioríssæ huius monastérii *N.*
et successóribus tuis

(*vel: tibi soróri N.N., Supprioríssæ in cápite
huius monastérii N.,*

*vel: tibi soróri N.N., delegátæ...,
vice soróris N.N., Prioríssæ huius monastérii N.,
et successórum eius),*

secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Moniálium Órdinis Prædicatórum,
quod ero obcédiens tibi tuisque successóribus,
ad triénnium (*vel*: ad annum).⁷⁷

85. Nihil immutatur in formula professionis quando Ordo Magistro suo caret.⁷⁸

CONCLUSIO RITUS

86. Renovata professione, tantummodo Priorissa sororem profitentem recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Ordinem, quo vinculum obedientiæ et communionis significatur.

87. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Oratio universalis seu fidelium (infra, in Appendice II, nn. 62-65) fit modo in celebrationibus liturgicis consueto.

⁷⁷ Cf. LCM, n. 157, § I.

⁷⁸ LCM, n. 157, § II.

CAPUT V

MISSA IN XXV V EL L ANNIVERSARIO PROFESSIONIS

88. In xxv vel l anniversario professionis religiosæ peculiaris celebratio, quamvis non habeatur in traditione Ordinis, causa pietatis necnon et pastoralis actionis haberi potest, cum professionis confirmatione intra Missam.⁷⁹

89. Missa⁸⁰ dici potest, cum vestibus coloris albi, diebus quibus Missæ "pro variis necessitatibus" celebrari possunt, ad normam legum liturgicarum.

Post homiliam professio publice confirmari potest, ritu renovationis votorum adhibito (supra, nn. 83-87), formula autem sequenti :

Ego soror *N. N.* totaliter adhæreo professioni a me factæ
et promitto obœdiëntiam Deo
et beátæ Maríæ et beáto Domínico
et Magístro Órdinis Fratrum Prædicatórum
et tibi soróri *N.N.*, Prioríssæ huius monastérii *N.*,
et successóribus tuis,
secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes Moniálium Órdinis Prædicatórum,
grátiam Dei implórans
qua fidéliter professionem meam adimplére possim
usque ad mortem.

90. Pro Missæ celebratione formularium aptum hic apponitur.

Ant. ad introitum

Ps 39, 8-9

Ecce vénio, Dómine, fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui, et lex tua in præcórdiis meis.

⁷⁹ Cf. «Intr. gen.», n. 15; OPR *Pr.*, n. 7.

⁸⁰ Cf. *Missale Romanum*, 1975², p. 774.

Collecta

Dómine, Deus fidélis,
da nobis, quæsumus, grátias tibi reférre
pro tua erga sorórem nostram *N.* benignitáte,
quæ accéptum a te donum
hódie confirmáre inténdit.
Róbora in ea spíritum perféctæ caritátis,
ut glóriæ tuæ et 'sanctæ prædicatióni'
patris nostri Domínici⁸¹
in dies váleat fervéntius inservíre.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine,
una cum munéribus oblatiónem sui,
quam hódie soror nostra *N.* confirmáre desíderat,
et per virtútem Sancti Spíritus
imáginí dilécti Fílii tui
ámplius eam conformáre dignéris.
Qui vivit et regnat.

Præfatio propria (cf. infra, in Appendice III).

Ant. ad communionem

Col 3,3

Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.
Cum Christus apparúerit, vita vestra,
tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

Vel, in cantu:

Ps 19,6

Lætábimur in salutári tuo
et in nómine Dómini Dei nostri magnificábimur.

⁸¹ Cf. LCM, n. 1, *Const. fund.*, § I.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, Corpus et Ságuinem Fílii tui,
quæ in iucúnda celebratióne huius anniversárii contulísti;
concéde, quæsumus, ut soror nostra *N.*,
cælésti pane potúque refécta,
incépti itíneris ad te ducéntis
felícem progréssum obtíneat.
Per Christum.

In fine Missæ opportune canitur resp. *O spem miram* (AG, p. 871) vel *Média vita* (AG, p. 106) vel *Dómine Deus* (GOP, p. 356; GR, p. 401) vel alius cantus aptus.

ADNEXUM

ORDO
RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS
IN INSTITUTIS VITÆ CONSECRATÆ

Hæc sectio *Ritualis professionis* Institutis vitæ consecratæ modo cuique proprio Ordini Prædicatorum aggregatis proponitur, qui ipsam paravit et approbavit ut in eorum aptationibus conficiendis adhiberi possit «ad unitatem liturgiæ Ordinis universi fovendam» (ACG 1971, n. 172), ut ipse Magister Ordinis animadvertit in Litteris promulgationis (supra, p. 10). Præsens autem textus nondum a Congregatione pro Cultu Divino confirmatus est, eo quod confirmatio impetrabitur simul ac elementa propria a singulis Institutis subicientur, iuxta Rituale ab Ordine præbitum parata.

PROCEMIUM

1. RITUALE ORDINIS PRÆDICATORUM, quod præbetur etiam Congregationibus religiosis necnon Societatibus Vitæ Apostolicæ et Institutis Sæcularibus quæ omnia Ordini nostro sint aggregata, ab unoquoque Instituto quod ipsum assumere cupiat aptari oportet iuxta legitimas consuetudines, quæ peculiari cuiusque charismati respondeant.¹

Itaque elementa propria, lingua officiali Instituto exarata, iuxta indicationes in "Introductione generali" Ritualis Ordinis præbitas² vertantur, pro diversis locis in quibus Institutum est præsens, iuxta textum vernaculum a competenti Commissione liturgica Ordinis paratum, atque ab auctoritatibus Ordinis et a Sede Apostolica more solito approbentur seu confirmentur.

2. Hic infra pro mulieribus formularia præbentur, ad Instituta virorum — cum usus aderit — aptanda.

In aptationibus ab Institutis Sæcularibus et Societatibus Vitæ Apostolicæ paratis, peculiaris cura adhibeatur pro specificis locutionibus aptandis, iuxta *Codicem Iuris Canonici* atque Regulam propriam.

3. In Ordine duplex fit professio : prima simplex et temporaria post novitiatum, altera vero sollemnis et exinde perpetua.³

Duplex igitur habetur ritus recipiendi ad professionem:

- ritus professionis temporariæ;
- ritus professionis perpetuæ.

Qui quidem ritus ita distinguantur oportet ut "discrimen liturgicum" inter professionem perpetuam et professionem temporariam accurate servetur.⁴

4. Professio autem emittitur sub unica formula, temporis tantum indicatione mutata. Illa vero professionis formula adhibetur quæ, formulæ Ordini nostro propriæ⁵ conformata, a Constitutionibus præscribitur.

¹ Cf. OPR *Pr.*, n. 14.

² Vide supra, «Intr. gen.», nn. 19-23.

³ LCO, n. 190; cf. supra, «Intr. gen.», nn. 9.12.13.

⁴ OPR *Pr.*, n. 14, c.

⁵ Cf. supra, «Intr. gen.», n. 7.

CAPUT I

RITUS RECEPTIONIS NOVITIARUM

DE MODO RECIPIENDI NOVITIAS IN CONGREGATIONEM VEL INSTITUTUM

5. Ex antiqua consuetudine,⁶ novitiorum receptio in Ordinem traditione habitus perficitur tamquam verus admissionis ritus; ideoque ritualis "vestitio" initio novitiatus⁷ perficienda collocatur, utpote "signum receptionis" in Ordinem, nondum vero "consecrationis", quæ per professionem habetur.⁸

Ubi autem habitus tantum in die primæ professionis suscipiatur,⁹ in receptione novitiarum habitus traditio (nn.19-20) omittitur.

Pro Institutis vero in quibus, e Constitutionum præscriptione, habitu religionis sodales non utuntur, ipse ritus admissionis alio modo exprimit receptionem novitiarum, congrua ad hunc peculiarem ritum accommodatione servata, præsertim circa orationum textus et "signa" tradenda.

6. Antequam novitiatus incipiat, postulantes exercitia spiritualia saltem per quinque integros dies convenienter peragunt.¹⁰

Ubi mos est, fiat postulantis, coram Consilio conventus vel cœtu pro candidatarum admissione, "declaratio et protestatio"¹¹ circa vitæ religiosæ et legum Instituti observantiam, ut infra in Appendice (V, n. 79), iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

7. Die quo novitiatus canonicus incipit ritum peragere præstat, qui sua ipsius natura peragi debet extra Missam,¹² separatim quoque a professionis ritibus. Coniungi vero potest celebrationi alicuius par-

⁶ Cf. *I Const.*, d. I, c. 14; *Directorium XII*, pp.116-118; Humbertus II, pp. 525-527.

⁷ Vide supra, «Intr. gen.», adn. 44.

⁸ Vide supra, «Intr. gen.», n. 7.

⁹ Cf. LCM, n. 140, § II.

¹⁰ Cf. LCO, n. 178, § I.

¹¹ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

¹² Cf. OPR *Pr.*, n. 12

tis Liturgiæ Horarum — Laudum præcipue aut Vesperarum — vel peculiari verbi Dei celebrationi, quæ naturam vitæ religiosæ et indolem propriam Instituti illustret.

8. Ritus sit admodum simplex, sobrius, sororibus præsertim reservatus.¹³ Ad ipsum ritum peragendum aula capitularis vel alius similis locus vel etiam sacellum deligi potest.

9. Ritui præest, iuxta Constitutiones vel Statuta propria, Priorissa generalis vel eius delegata,¹⁴ hic infra nomine "Priorissæ" indicata.

10. Novitiatus incipit intimatione facta a Priorissa vel ab eius delegata, quæ candidatas ad novitiatum admittit iuxta normas in propriis Institutionibus statutas.

De hac intimatione fiat registratio, a novitia et a duobus testibus subscripta, in libro admissionum.¹⁵

RITUS INITIALES

11. Ritus opportune incipit salutatione Priorissæ quæ pro opportunitate — scilicet, si prævia quædam ritus explicatio non est habita — poterit paucis verbis, monitionis instar, sensum celebrationis adstantibus explanare. Sequitur cantus *Veni Creator* aliusve hymnus.

Si intra Laudes aut Vesperas ritus peragitur, quæ sequuntur fiunt post psalmodiam.

Interrogatio vel postulatio

12. Deinde Magistra novitiarum, vel alia soror quæ candidatas comitata sit in itinere vocationali seu in postulatus decursu, postulantes ducit in medium capituli, ubi se prosternunt, si convenienter fiat, vel genua flectunt vel se profunde inclinant.

¹³ Vide supra, «Intr. gen.», n. 11.

¹⁴ Cf. LCO, n. 175.

¹⁵ Cf. LCO, n. 178, § II.

Tunc Priorissa postulantium voluntatem exquirat dicens:

Quid quæritis?

Et postulantes omnes simul respondent :

Misericórdiam Dei et vestram.¹⁶

13. Vel, si placet, ommissa interrogatione et absque prostratione, una ex postulantibus pro omnibus — vel omnes simul — ad Priorissam et communitatem conversa postulationem facere potest his vel similibus verbis:

Misericórdia Dei compúlsæ,
huc vénimus ad conversatióem experiéndam vestram;
docéte nos, rogámus, Christum crucifixum sequi,
obœdiéntes, castas pauperésque vívere,
oratióni instáre, pæniténtiam exercére,
Ecclésiæ cunctisque homínibus deservíre,
vobíscum cor unum esse et ánimam unam.
Adiuváte nos ut Evangélii præcépta
omni vitæ hora explicémus,
Régulam vestram discámus
legémque fratérnæ dilectiúnis servémus.

Quibus dictis, omnes postulantes se prosternunt, si convenienter fiat, vel genua flectunt vel se profunde inclinant.

* * *

14. Tunc Priorissa pro opportunitate adstantes ad orationem invitat, his vel similibus verbis:

Orémus pro istis soróribus nostris
quæ in Institutum nostrum récipi petunt,
ut divínus Magíster ipsis tríbuat
abundántiam sui Spíritus et suæ pacis solácium.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

* * *

¹⁶ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

15. Deinde Priorissa dicit:

Deus, sanctæ vocatiónis largitor,
 qui ut viri evangélici¹⁷ exéplum
 beátum Domínicum Ecclesiæ donásti,
 famulárum tuárum *N.* et *N.* supplicatiónes benígnus exáudi,
 quæ, ut tibi perféctius desérviant,
 nostræ petunt aggregári familiæ;
 et concéde propítius,
 ut commúnis víta in mútuam dilectiÓNem convertátur.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Priorissa subiungit:

Leváte.

Tunc candidatæ ad locum suum redeunt.

VERBI DEI CELEBRATIO

16. Deinde leguntur sacrarum Scripturarum textus apti, qui novitatem vitæ per baptismum acceptam memorent, ad indicandum nexum vitæ religiosæ cum baptisate aliisque initiationis christianæ vitæ sacramentis, congruentibus interiectis responsoriis (infra, in Appendice I). Addi possunt etiam aliæ aptæ lectiones vel ex Ecclesiæ aut Ordinis et proprii Instituti documentis vel e sanctis Patribus.

17. Quibus peractis, præ oculis habens Scripturarum lectiones, Priorissa communitatem sororum et postulantes adloquitur de vitæ religiosæ vel consecrationis natura atque de Ordinis et proprii Instituti charismate, eiusdem præcipuas exigentias et austeritates¹⁸ illustrans.

¹⁷ Iordanus, n. 104.

¹⁸ Cf. PS, pp. 149-153.

RECEPTIO POSTULANTIUM

Interrogationes

18. Deinde, in fine sermonis, Priorissa invitat postulantes ad surgendum et voluntatem earum requirit, his vel similibus verbis, unam vel plures interrogationes seligens:

Vultis, firma intentiōne,
in novitāte vitæ fidéliter ambulāre?

Postulantes omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.¹⁹

Priorissa:

Vultis Dóminum Iesum sequi
secúndum beáti Domínici evangélicum propósitum?

Postulantes:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vultis ergo in nostram récipi familiam,
ad conversatióem nostram experiéndam
in perfécta regulári observántia?

Postulantes:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Priorissa earum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.²⁰

Et adstantes respondent:

Amen.

¹⁹ *Directorium* XI, 9, p. 118.

²⁰ *I Const.*, d. I, c. 13.

Vestitio seu traditio habitus

19. Tunc Magistra novitiarum vel alia soror (cf. n. 12) unamquamque candidatarum ducit ad Priorissam et facit genuflectere coram ea; et vestimenta portans vestes pręparatas, eas Priorissę porrigit; Priorissa adiuvante Magistra novitiarum vel alia sorore, loco apto eas induit habitu Instituti novitiis proprio, nisi aliud in Constitutionibus caveatur.²¹

Vestitione peracta, Priorissa unamquamque novitiarum recipit ad osculum pacis, utpote signum receptionis in Institutum et admissionis in fraternitatem communitatis.

Dum novitię induuntur, omnibus genua flectentibus canitur hymnus *Veni Creator*,²² nisi prius cantatus fuerit, aut chorus canit antiphonam *Immutemur habitu* (MLOP, p. 6) cum psalmo 39 (*Exspectans expectavi Dóminum*), vel alium congruum cantum.

20. Vel, si talis est consuetudo Congregationis, Priorissa candidatis habitum novitiarum tradit aliqua parte novitiatus expleta,²³ congrua vero celebratione disposita.

Quo in ritu, Magistra novitiarum vel alia soror (cf. n. 12) unamquamque candidatarum ducit ad Priorissam et facit genuflectere coram ea, quę habitum unamquamque induit vel ipsi in manus eum tradit, dicens:

Pręstet tibi Dóminus
veterem hóminem exúere, cum áctibus suis,
et novum indúere hóminem, qui secúndum Deum creátus est,
in iustítia et sanctitáte veritátis.²⁴

Quo facto, Priorissa unamquamque novitiarum recipit ad osculum pacis, utpote signum receptionis in Institutum et admissionis in fraternitatem communitatis.

21. Tunc, si ritus in aula capitulari fuerit peractus, communitas egredi potest processionaliter ad ecclesiam, iunioribus pręcedentibus, Magistra novitiarum vel alia sorore ducente novitias usque ad gradum altaris.

In processione canitur hymnus vel psalmus aptus, vel *Canticum Zacharię* aut *Magnificat* si ritus intra Laudes aut Vesperas peragitur.

²¹ Cf. supra, n.5.

²² Cf. COP, p.123, n.486.

²³ Cf. supra, «Intr. gen.», adn. 44.

²⁴ Cf. *Eph* 4,24.

Oratio universalis

22. Deinde fieri potest oratio universalis, modo in celebrationibus consueto, iuxta formularium quod in Appendice (II, nn. 62-65) affertur.

Si autem ritus cum Laudibus vel Vesperis uniatur, oratio universalis fit iuxta formularium precum Liturgiæ Horarum, invocationem pro novitiis inserendo.

Petitionibus expletis dicitur *Oratio dominica*.

Receptio fraterna et intimatio novitiatus

23. Postea novitiæ eant dando pacem unicuique sororum, dum canitur ps. 132 *Ecce quam bonum* vel ant. *Ubi caritas* vel ant. *O spem miram* vel alius cantus congruus.

24. Quibus expletis, Magistra novitias iterum ad Priorissam ducit, quæ eis — si opportunum videtur — aliud nomen, christianum scilicet, addere potest, unicuique dicens:

Ex baptismo est nomen tuum *N.*,
in Instituto nostro vocaberis soror *N. N.*²⁵

Deinde Priorissa intimatione²⁶ anni canonici novitiatus tempus probationis assignat novitiasque curæ Magistræ tradit, eas monens his vel similibus verbis:

Ecce, filiæ, vos recepistis misericordiam Dei et nostram iam ex parte,
quia dedimus vobis habitum nostrum ad probationem:
restat vobis facere professionem,
ut ipsam misericordiam nostram possitis habere complete.
Et quia forte mores Religionis non placebunt vobis,
aut mores vestri non placebunt nobis,
ideo auctoritate Ecclesiæ et Instituti
vobis concedo unum annum,
ut vos possitis probare mores nostros et nos mores vestros.
Et si vobis placebit nobiscum vivere
et nobis placebit conversatio vestra,

²⁵ Cf. PS, p. 155.

²⁶ Cf. LCO, n. 178, § II.

recipiémus vos ad professionem:
 álias et nos et vos érimus in libertáte.
 Conámini ergo iugum hoc pro amóre Dei libénter ferre
 et Magístræ vestræ in ómnibus obœdíre tamquam mihi.²⁷

Vel:

Iura volunt quod ingrediéntibus nostrum Institutúm,
 tempus probatiónis, annus vidélicet, assignétur.
 Et ego — auctoritáte officii quo fungor —
 unum annum vobis pro témpore probatiónis assígnó,
 sub ductu soróris *N. N.* percurréndum,
 quæ vos de Institutó nostro docébit.
 Infra hoc tempus, soróres probábunt mores vestros
 et vos probábitis vires vestras
 ad austeritátes Institutí eiúsque múnera sustinéndá.
 Quo anno elápsó, potéritis,
 si vobis et soróribus placúerit,
 per professionem Institutó obligári;
 sin autem, potéritis de vobis, prout vidébitur, ordináre.²⁸

25. Si vero secundum leges vel consuetudines Instituti novitiis librum Constitutionum vel insignia quædam tradi placet, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

CONCLUSIO RITUS

26. His omnibus peractis, Priorissa adstantes ad orationem invitat, dicens:

Imitémur, soróres, ut póssumus,
 sancti patris Domínici vestígia,
 simul et agámus grátias Redemptóri
 qui talem in via hac, qua ambulámus,
 ducem exhibuit servis suis,

²⁷ Cf. PS, p. 155.

²⁸ *Directorium* XI, 8, p. 118 ; cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

per eum nos in huius conversatiónis lucem regénerans;
et deprecémur misericordiárum Patrem,
ut illo nos regénte Spírítu, quo fílii Dei ágúntur,
per términos quos posuérunt patres nostri
ad eándem metam
perpétuæ felicitátis et sempitérnæ beatitúdinis,
ad quam ille sine fine felix introívit,
nos quoque indefléxo trámite pertíngere mereámur.²⁹

Orémus.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant; deinde Priorissa prosequitur:

Da nobis, quæsumus Dómine,
perseverántem in tua voluntáte famulátum,
ut in diébus nostris
et mérito et número, família tibi sérvians augeátur.
Per Christum Dóminum nostrum.³⁰

℟. Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

27. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, antiphona *Salve Regína* vel alio cantu; quo expleto, adstantes salutant novitias secundum loci consuetudinem.

²⁹ Cf. Iordanus, n. 109.

³⁰ Cf. MOP, p. [67].

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS TEMPORARIÆ

DE MODO RECIPIENDI AD PROFESSIONEM

28. Ritus professionis, ex Ordinis consuetudine,³¹ in aula capitulari vel in choro peragitur; rationabili vero de causa in ecclesia fieri potest, sive in connexione cum aliqua divini Officii Hora sive intra Missam,³² iuxta hodiernam consuetudinem.

29. Ritus ordinarie peragitur in domo Instituti et coram communitate. In casibus autem exceptionalibus, de consensu Priorissæ generalis vel provincialis, fieri potest extra domum Instituti.³³

Professio recipitur a Priorissa generali vel provinciali vel ab eius delegata, hic infra nomine "Priorissæ" indicata.

30. Ubi mos est, antequam ad primam professionem novitiæ admittantur denuo fiat ipsis, coram Consilio conventus vel cœtu pro earum admissione, "declaratio et protestatio"³⁴ circa vitæ religiosæ et legum Instituti observantiam, ut in Appendice (V, n. 79) traditur, iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

31. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eadem professa atque a duabus testibus subscribatur,³⁵ nunquam vero super altare.

32. In hoc Rituali illi professionis ritus præbentur qui intra Missam peraguntur. Quando autem extra Missam professio emittitur vel renovatur, ritus est pro opportunitate aptandus, congruis elementis selectis, ut infra, nn. 58-59.

³¹ Cf. supra, «Intr. gen.», n. 7.

³² Cf. OPR *Pr.*, n. 13; OPR II, n. 14.

³³ Cf. LHOP, *Adnot. compl.*, n. 36, p. 19.

³⁴ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

³⁵ LCO, n. 194.

RITUS PROFESSIONIS TEMPORARIÆ INTRA MISSAM PERAGENDUS

IN VIGILIA PROFESSIONIS

33. Sicubi religionis habitus ab habitu novitiarum differt non solum quoad velum, novitiis, quæ ad primam professionem admittuntur, pridie professionis vestis religiosa, velo professarum excepto, convenienter traditur.

34. Hora constituta, Priorissa sorores communitatis ac novitias convocat et brevi sermone omnium mentes disponit ad professionis ritum die insequenti peragendum. Deinde singulis novitiis habitum tradit, velo professarum excepto.

IN DIE PROFESSIONIS

35. Quando ritus professionis in ecclesia persolvitur, professio de more fit ad sedem. In presbyterio omnia disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus conspici possit.

36. Adhibetur "Missa de die" aut "Missa ritualis in die primæ professionis religiosæ", ad normam legum liturgicarum.³⁶ Eucharistia opportune a Fratre Ordinis celebratur.

RITUS INITIALES

37. Celebratio opportune incipit cantu introitus cum processione ingressus ad altare, cui laudabiliter intersunt, comitante Magistra novitiarum, sorores professuræ habitu religionis indutæ, velo professarum excepto.

Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum actio liturgica prosequitur.

³⁶ Cf. «Intr. gen.», nn.17-18.

LITURGIA VERBI

38. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc :

a) lectiones, diebus quibus permittitur, vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur;³⁷

b) Symbolum dicitur, si rubricis liturgiæ diei præscribitur.

PROFESSIO RELIGIOSA VEL PROMISSIO

Interrogatio vel postulatio

39. Dicto Evangelio, Magistra novitiarum professuras ducit in medium ante Priorissam, ubi se prosternunt, si convenienter fiat, vel genua flectunt vel se profunde inclinant. Tunc Priorissa novitias interrogat dicens :

Quid quæritis?

Cui omnes simul respondent:

Misericórdiam Dei et vestram.³⁸

40. Vel, si placet, omissa interrogatione et absque prostratione, una ex professuris pro omnibus — vel omnes simul — ad Priorissam et communitatem conversa postulationem facere potest his vel similibus verbis:

Nos, *N.* et *N.*, cum misericórdia Dei
 vestram novérimus Régulam
 et fratérne vobíscum probatiónis degérimus tempus,
 felíci experiéntia edóctæ
 a te, *N.*, humíliter póscimus
 ut Deo eiúsque Regno nos devoveámus
 sanctam professiÓNem in hac família emitténtes.

³⁷ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

³⁸ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

Quibus dictis, omnes candidatæ se prosternunt, si convenienter fiat, vel genua flectunt vel se profunde inclinant. Priorissa et omnes adstantes respondent:

Deo grátias.

vel alio apto modo.

Priorissa subiungit:

Leváte.

Tunc professoræ ad locum suum redeunt et omnes sedent.

Homilia seu allocutio

41. In homilia seu allocutione sacerdotis, opportune illustrantur tum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ vel promissionis donum iuxta indolem vocationis et missionis Instituti atque munus ad electarum sanctificationem atque ad Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

42. Homilia sacerdotis expleta, Priorissa ad professoras conversa quærit:

Vultis fácere professionem
secúndum Constitutiónes huius Institúti? ³⁹

Professoræ surgentes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.⁴⁰

Priorissa:

³⁹ Cf. CMS, p. 11.

⁴⁰ *Directorium* XI, 9, p. 118.

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.⁴¹

Omnes:

Amen.

43. Vel, si placet, Priorissa voluntatem candidatarum, coram ea stantium, requirit interrogationibus quæ sequuntur vel similibus.

Priorissa:

Fíliæ (Soróres) dilectíssimæ,
quas aqua et Spíritus Deo sacrávit,
vultis novo professiónis religiósæ título
árctius Christo et Ecclésiæ coniúngi? ⁴²

Professoræ omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vultis perfectæ caritátis viam ingredi,
secúndum apostólicam vivéndi formam
a sancto Domínico concéptam, ⁴³
sicut testes vitæ evangélicæ
sui sequétes vestígia Salvatóris? ⁴⁴

Professoræ:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vultis, ad vestígia Salvatóris nostri sequénda,⁴⁵
vitam commúnem unanímiter ágere:

⁴¹ *I Const.*, d. I, c. 13.

⁴² Cf. LCO, n. 19, § II.

⁴³ Cf. LCO, n.1, *Const. fund.*, § IV.

⁴⁴ Cf. *I Const.*, d. II, c. 31.

⁴⁵ Cf. *ibid.*

in consiliórum evangelicórum professione fidéles,
in oratione fervéntes, in stúdio assíduæ,
in prædicatione constántes
et in regulári observántia perseverántes
ad Dei glóriam et vestram aliorúmque salutem? ⁴⁶

Professuræ:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Priorissa earum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.

Omnes:

Amen.

Professio religiosa vel promissio

44. Tunc unaquæque novitiarum accedens genuflectit ante Priorissam sedentem et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum vel Statutorum superposito manibus utriusque, professionem facit intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam, ipsam aptando secundum statuta Instituti:

Ego soror *N. N.* fácio professionem
et promítto obœdiéntiam Deo
et beátæ Mariæ et beáto Domínico
et tibi soróri *N. N.*, Priorissæ generáli huius Institúti *N.*
et successóribus tuis,

(*vel: tibi soróri *N.N.*, Priorissæ provinciáli Provinciæ *N.*
huius Institúti *N.*,*

*vel: tibi soróri *N.N.*, Vicáriæ generáli huius Institúti *N.*,*

*vel: tibi soróri *N.N.*, delegátæ...,*

*vice soróris *N.N.*, Priorissæ generális huius Institúti *N.*
et successórum eius),*

⁴⁶ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § IV.

secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes eiúsdem Institúti,
quod ero obœdiens tibi tuisque successoribus
ad annum (*vel* : ad triénnium).⁴⁷

Osculum pacis

45. Emissa professione, tantummodo Priorissa sorores profitentes recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Institutum, quo in Ordine nostro vinculum obœdientiæ et communionis significatur.

Benedictio habitus et traditio veli

46. Postea sacerdos vestes profitentium benedicit, iunctis manibus :

Orémus.

Deus, sanctitátis auctor et consummátor,
qui renátas ex aqua et Spíritu Sancto
ad vitæ christiánæ plenitúdinem
et caritátis perfectiónem vocas:
has fámulas tuas propítius réspice
quas, Matre Misericórdiæ auxiliánte,
novi hábitus dono
in signum eius speciális protectiónis,
ad præparatiónem evangélii pacis ⁴⁸ locupletásti;
et præsta ut Christi Fílii tui imáginí confórmes efficiántur
et huius vitæ cursu feliciter consummáto,
redimítæ glória, in gáudium domus tuæ intráre mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.⁴⁹

R. Amen.

⁴⁷ LCO, n. 199, § I.

⁴⁸ Cf. LCO, n. 199, § I.

⁴⁹ Cf. Iordanus, n. 57.

Vel:

Dómine Iesu Christe,
qui tégimen nostræ mortalitátis indúere dignátus es:
obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam,
ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres
ad innocéntiæ et sanctitátis indícium ferre sanxérunt,
ita bene ꝛ dícere dignéris
ut quæ hoc usa fúerit te indúere mereátur,
qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.⁵⁰

ꝛ. Amen.

47. Deinde, si mos est, sacerdos præscriptum velamen tradit unicuique
professarum, dicens:

Áccipe velámen sacrum
quo agnoscáris
domus oratiónis⁵¹ esse Dómino tuo
et templum prædicatiónis⁵² in médio pópuli eius.

Professa respondet:

Amen.

Tunc Priorissa, adiuvante Magistra novitiarum, unamquamque profes-
sarum velamine tegit.
Deinde sacerdos professo aqua benedicta aspergit.

* * *

48. Deinde, ubi mos est, Priorissa unicuique professorum librum tra-
dit Constitutionum vel Statutorum, dicens:

Áccipe huius familiæ Institutiónes
ut spéculum spirituális pulchritúdinis
ad quam ipsa vocáris,
non sicut serva sub lege
sed sicut líbera sub grátia constitúta.⁵³

⁵⁰ *Ecc. Off.*, f. 51r A; cf. PS, p. 157.

⁵¹ Cf. *Lc* 19, 46.

⁵² Cf. MLOP, p. 254.

⁵³ Cf. *Regula*, n. 8, p. 19.

Professa respondet:

Amen.

49. Si vero secundum leges vel consuetudines Institutii alia professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

* * *

Conclusio ritus professionis

50. Cum unaquæque sororum nuper professorum ad locum suum redierit ibique steterit, Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium (cf. infra in Appendice II, nn. 62-65).

LITURGIA EUCHARISTICA

51. Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnullæ sorores nuper professæ ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Sacrificio eucharistico, et alia dona symbolica iuxta consuetudines loci.

52. Qui celebrationi præest pacem offert singulis sororibus nuper professis, ad altare accedentibus, more consueto aut secundum loci consuetudinem.

53. Postquam sacerdos Eucharistiam sumpsit, etiam omnes adstantes eam sub utraque specie sumere possunt, servatis semper dispositionibus Conferentiarum Episcoporum et Episcopi diœcesani.

DIMISSIONE

54. Deinde sacerdos sorores et adstantes salutatur dicens :

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Sacerdos:

Benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ☩ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

55. Altera benedictionis formula:

Deus Pater
sua vos tueátur grátia
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

℟. Amen.

Dóminus Iesus
caritátis suæ apud omnes
testes et signum
fáciat vos.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus
fortíficet corda vestra
et súggerat vobis omnem veritátem.

℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ☩ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

56. Deinde diaconus vel sacerdos sorores et adstantes dimittit dicens:

Ite, missa est.

Omnes:

Deo grátias.

57. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, antiphona *Salve Regína* vel alio cantu; quo expleto, adstantes salutant sorores nuper professas secundum loci consuetudinem.

RITUS PROFESSIONIS TEMPORARIÆ EXTRA MISSAM PERAGENDUS

58. Quando ritus professionis temporariæ extra Missam peragitur,⁵⁴ inseri potest in celebrationem verbi Dei, modo sequenti:

a) post cantum aptum, fit interrogatio vel postulatio novitiarum (nn. 39-40);

b) sequitur lectio verbi Dei, cui responditur cantu psalmi apti (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Priorissæ;

c) postea ipse ritus professionis habetur: interrogationes (nn. 42-43), professionis formula (n. 44), osculum pacis (n. 45), benedictio habitus (n. 46) et, ubi mos est, traditio veli (n. 47) et symbolorum professionis (nn. 48-49);

d) ritus concludi potest oratione universali (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) — addita, si placet, recitatione *Orationis dominicæ* — et benedictione sollemni (n. 55).

59. Quando autem ritus intra Liturgiam Horarum peragitur (præsertim Laudum vel Vesperarum), proceditur modo sequenti:

⁵⁴ Cf. «Intr. gen.», n. 12.

a) post hymni cantum, fit interrogatio vel postulatio novitiarum (nn. 39-40);

b) sequuntur psalmodia et lectio verbi Dei, quod seligi potest ex textibus in Lectionario præbitis (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Priorissæ;

c) postea ipse ritus professionis habetur : interrogationes (nn. 42-43), professionis formula (n. 44), osculum pacis (n. 45), benedictio habitus (n. 46) et, ubi mos est, traditio veli (n. 47) et symbolorum professionis (nn. 48-49);

d) canitur postea *Canticum Zachariæ* vel *Magnificat*;

e) deinde dicitur oratio universalis seu fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65);

f) ritus concluditur recitatione *Orationis dominicæ*, oratione finali et benedictione sollemni (n. 55).

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS PERPETUÆ INTRA MISSAM PERAGENDUS

DE MODO RECIPIENDI AD PROFESSIONEM

60. Professionis perpetuæ ritus, Familiæ Dominicanæ sodalium populique concursu, intra Missam peropportune persolvitur. Fideles autem de die atque hora tempestive certiores fiant, quo frequentiores accurrere possint.

61. Ad professionis ritum peragendum, quo religiosa Deo in perpetuum mancipatur, laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitatis Domino, beatæ Mariæ vel Sanctis, nostri Ordinis præsertim vel Instituti, dicata, servatis semper de iure servandis.

62. Ritus peragitur separatim a ceteris professionis ritibus.⁵⁵ Congrua autem sollemnitate celebretur, ut ritus natura postulat, decora tamen illa sobrietate servata, quæ Ordini nostro convenit.

63. Professio de more fit in ecclesia Instituti vel, si ita opportunum videbitur, ritus in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia congruenter persolvitur.⁵⁶

64. Professio de more fit ad sedem; ad participationem autem fidelium expediendam, in presbyterio omnia ita disponantur, ut tota actio liturgica a fidelibus conspici possit.

65. Ubi fieri potest, Missa concelebrata præferatur, cui Frater Ordinis præsit.

⁵⁵ Cf. OPR *Pr.*, n. 8; OPR II, n. 44.

⁵⁶ Cf. LHOP, *Adnot. compl.*, n. 36, p. 19.

66. Adhibetur “Missa diei” aut “Missa ritualis in die professionis perpetuæ”, quæ in Proprio Missarum invenitur, ad normam legum liturgicarum.⁵⁷

67. Ubi mos est, antequam ad professionem perpetuam sorores admittantur denuo fiat ipsis, coram Consilio conventus vel cœtu pro earum admissione, “declaratio et protestatio”⁵⁸ circa vitæ religiosæ et legum Instituti observantiam, ut in Appendice (V, n. 79) traditur, iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

68. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eadem professa atque a duabus testibus subscribatur,⁵⁹ numquam vero super altare.

RITUS INITIALES

69. Actio liturgica opportune incipit cantu introitus dum incedit processio ad altare, cui laudabiliter intersunt professoræ, earum comitante Magistra. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum actio liturgica prosequitur.

LITURGIA VERBI

70. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc :
 a) lectiones, diebus quibus permittitur, vel e “Missa diei” vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur;⁶⁰
 b) Symbolum dicitur, si rubricis liturgiæ diei præscribitur.

PROFESSIO RELIGIOSA

Interrogatio vel postulatio

71. Dicto Evangelio, Magistra aliave soror professoras ducit in medium ante Priorissam, ubi se prosternunt, si convenienter fiat, vel genua

⁵⁷ Cf. «Intr. gen.», nn. 17-18.

⁵⁸ Cf. LCO, n. 174, §§ I-II et p. 229.

⁵⁹ LCO, n. 194.

⁶⁰ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

flectunt vel se profunde inclinant. Tunc Priorissa professuras interrogat dicens:

Quid quæritis?

Cui omnes simul respondent:

Misericórdiam Dei et vestram.⁶¹

72. Vel, si placet, omissa interrogatione et absque prostratione, una ex professoris pro omnibus — vel omnes simul — ad Priorissam et communitatem conversa postulationem facere potest his vel similibus verbis:

Nos, *N.* et *N.*, cum misericórdia Dei vitam ipsæ vínculis sacris dicátam in vestra novérimus communitáte, a te, *N.*, humíliter póscimus, ut professionem perpétuam in hoc Institutó emittámus ad Dei laudem et Ecclésiæ servítium.

Quibus dictis, omnes candidatae se prosternunt, si convenienter fiat, vel genua flectunt vel se profunde inclinant. Priorissa et omnes adstantes respondent:

Deo grátias.

vel alio apto modo.

Priorissa subiungit:

Leváte.

Tunc professoræ ad locum suum redeunt et omnes sedent.

Homilia seu allocutio

73. Tunc professoræ quoque sedent et fit homilia sacerdotis, in qua opportune illustrantur tum lectiones biblicæ tum vitæ religiosæ donum

⁶¹ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

Ordinisque nostri propria vocatio et missio atque munus Instituti ad electarum sanctificationem atque ad Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

74. Homilia sacerdotis expleta, Priorissa ad professuras conversa quærit:

Vultis fácere professionem perpétuam
secúndum Constitutiónes Institúti nostri? ⁶²

Professuræ surgentes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa subiungit:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.

Omnes:

Amen.

75. Vel, si placet, Priorissa voluntatem candidatarum, coram ea stantium, requirit interrogationibus quæ sequuntur vel istis similibus.

Priorissa:

Fíliæ (Soróres) dilectíssimæ, iam per baptísmum
peccáto mórtuæ ac Dómino sacrátæ,
vultis perpétuæ professionis título
árctius Christo et Ecclésiæ coniúngi? ⁶³

Professuræ omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

⁶² Cf. CMS, p. 17.

⁶³ Cf. LCO, n. 19, § II.

Priorissa:

Vultis eándem obœdiéntiæ,
paupertátis et castitátis vitam
quam Christus Dóminus eiúsq̄ue Virgo Mater sibi elegérunt,
amplécti et usque ad mortem serváre?

Professoræ:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vultis in caritaté Dei et próximi profícere⁶⁴
Órdinis nostri apostólicum propósitum prosequéndo
tamquam quæ suam et aliórum salútem procuráre desíderant,
sui sequéntes vestígia Salvatóris? ⁶⁵

Professoræ:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Priorissa:

Vultis, Sancti Spíritus subveniénte múnere,
professioné perpétua huic Institutó cooptári,
Deo totáliter consecrári
ac univérsæ Ecclésiæ novo modo devovéri,
íntegræ evangelizatióni verbi Dei totáliter deputátæ? ⁶⁶

Professoræ:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Priorissa earum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.

Omnes:

Amen.

⁶⁴ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § III.

⁶⁵ Cf. *I Const.*, d. II, c. 31; LCO, n. 1, *Const. fund.*, § II.

⁶⁶ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § III.

Supplicatio pro sororibus professuris

76. Interrogationibus expletis, omnes pro supplicatione surgunt. Sacerdos stans, manibus iunctis, ad populum conversus dicit:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum Patrem omnipoténtem,
ut super has fámulas,
quas ad perféctam Christi sequélam vocávit,
benedictiónis suæ grátiam cleméner effúndat
eásque in sancto propósito
benígna pietáte confirmet.

His dictis, omnes silentio orant vel Litaníæ sanctorum (infra, in Appendice IV, nn. 71-74) ad libitum canuntur.

Professio religiosa vel promissio

77. Supplicationibus expletis, professuræ singulæ genuflectunt ante Priorissam sedentem et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum vel Statutorum superposito manibus utriusque, professionem faciunt intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam, ipsam aptando secundum statuta Instituti:

Ego soror *N. N.* fácio professionem
et promítto obœdiéntiam Deo
et beátæ Maríæ et beáto Domínico
et tibi soróri *N. N.*, Prioríssæ generáli huius Institúti *N.*
et successóribus tuis,
(*vel: tibi soróri N.N., Prioríssæ provinciáli Provinciæ N.*
huius Institúti *N.*,
vel: tibi soróri N.N., Vicáriæ generáli huius Institúti N.,
vel: tibi soróri N.N., delegatæ...,
vice soróris *N.N.*, Prioríssæ generális huius Institúti *N.*
et successórum eius),
secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes eiúsdem Institúti,
quod ero obœdiens tibi tuisque successóribus
usque ad mortem.⁶⁷

⁶⁷ Cf. LCO, n. 211.

Osculum pacis et sollemnis benedictionis oratio

78. Emissa professione, tantummodo Priorissa sorores profitentes recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Institutum, quo in Ordine nostro vinculum obœdientiæ et communionis significatur.

79. Si vero secundum leges vel consuetudines Instituti quædam professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

80. Tunc, nisi habenda sit sollemnis benedictionis oratio, sacerdos sorores nuper professas monet his vel similibus verbis:

Soróres caríssimæ, per hanc professionem perpétuam
vosmetípsas tradidístis Deo eiúsque voluntáti :
Deus ígitur per ministérium Ecclésiæ
sibi ipse vos consecrávit⁶⁸
ad præparatióem evangélii pacis,⁶⁹
ut própria sitis heréditas eius
idémque sit heréditas vestra in ætérnum.

Vel, si placet, sorores nuper professæ genua flectunt et sacerdos, manibus super eas extensis, dicit benedictionis precem iuxta formularia in Appendice (IV, n. 78) posita.

Conclusio ritus professionis

81. Quibus expletis, sorores nuper professæ ad loca sibi designata revertuntur. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Oratio fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) omittitur quando Litaníæ habitæ sunt.

⁶⁸ Vide supra, «Intr. gen.», n. 4.

⁶⁹ Cf. Iordanus, n. 57.

LITURGIA EUCHARISTICA

82. Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnullæ religiosæ nuper professæ ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Sacrificio eucharistico et alia dona symbolica iuxta consuetudines loci.

83. In Precibus eucharisticis, professorum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur «Hanc ígitur» proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum professiónis offérimus,
quæsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio mereántur admítteri.
(Per Christum Dóminum nostrum).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba «...univérso clero» additur :

Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ hódie se tibi dicárunt perpétuo servítio,
et concéde ut prædicatiónis templum
atque domus oratiónis et laudis tuæ
in perpétuum⁷⁰ exsístant.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba «...pópulo acquisitionis tuæ» additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,

⁷⁰ Cf. MLOP, p. 254.

et fac ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam maniféstent
Christi redemptióne comparátam.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba «...sed et totíus cleri» additur:

... et istárum sorórum, quæ professione religiósa
hódie tibi árctius consecrántur,
et offeréntium
et circum adstántium ...

84. Postquam sacerdos Eucharistiam sumpsit, etiam omnes adstantes eam sub utraque specie sumere possunt, servatis semper dispositionibus Conferentiarum Episcoporum et Episcopi diœcesani.

CONCLUSIO RITUS

85. Oratione post communionem expleta, religiosæ nuper professæ ante altare sistunt et sacerdos, manibus super eas et populum extensis, dicere potest:

Deus, tanti óperis auctor et custos,
supérna sua vos tueátur grátia
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

℟. Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes testimónium et signum,
ut pópulus Dei prompta respóndeat actuosité.

℟. Amen.

Divíni sui Spíritus advocántis grátia
corda vestra efficáciter fecúndet
pro Ecclésiæ et humánæ famíliæ proféctu.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ⁊ et Spíritus Sanctus.

℣. Amen.

Deinde diaconus vel sacerdos sorores et adstantes dimittit dicens:

Ite, missa est.

℣. Deo grátias.

86. Tunc adstantes salutant sorores nuper professas, secundum loci consuetudinem, dum canitur antiphona:

Ecce quam bonum et quam iucúndum
habitáre fratres in unum.

cum Psalmo 132, vel alius congruus cantus.

CAPUT IV

RITUS RENOVATIONIS VOTORUM TEMPORARIORUM VEL PROMISSIONIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

87. Hoc capite describitur ritus qui adhibetur cum renovatio votorum temporariorum, quæ ex Constitutionum⁷¹ præscripto fit, intra Missam peragitur. Si autem renovatio votorum fit extra Missam, professio sine ritu peculiari coram duabus testibus renovetur.

88. Ritus renovationis votorum maxima sobrietate peragatur, præsertim cum vota ad annum renovantur.

Quando ritus in ecclesia persolvitur, professio de more fit ad sedem; opportuno presbyterii loco paretur sedes pro Priorissa, sororum professionem receptura.

89. Adhibetur "Missa diei" aut "Missa ritualis in die renovationis votorum", ad normam legum liturgicarum.⁷²

90. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum et ab eadem professa atque a duabus testibus subscribatur,⁷³ numquam vero super altare.

LITURGIA VERBI

91. In liturgia verbi, diebus quibus permittitur, lectiones vel e "Missa diei" vel e Sacra Scriptura sumi possunt, ex illis quæ in peculiari lectionario (cf. infra, in Appendice I) proponuntur.⁷⁴

92. Post Evangelium fit homilia, in qua tum lectiones biblicæ tum vis et virtus vitæ religiosæ in Instituto commemorantur.

⁷¹ Cf. LCO, nn. 195, § II; 202; 203.

⁷² Cf. «Intr. gen.», nn. 17-18; *Missale Romanum*, 1975², p. 773.

⁷³ Cf. LCO, n. 194.

⁷⁴ Cf. «Intr. gen.», n. 18.

VOTORUM VEL PROMISSIONIS RENOVATIO

Divinæ gratiæ expostulatio

93. Homilia expleta, sacerdos divinum auxilium exposcere potest, dicens:

Orémus Deum Patrem,
perseverántis consílii largitórem,
pro his fámulis eius,
quæ hódie coram Ecclésia
vota sua (promissionem suam) renováre inténdunt.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde sacerdos dicit:

Réspice, quæsumus Dómine,
super has fámulas tuas,
quas ad Fílii tui préssius sectánda vestígia
providénti vocásti consílio;
et miserátus concéde
ut iter amóris tui,
quod álacres sunt aggréssæ,
perseveránti caritáte confícient.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Renovatio professionis vel promissionis

94. Oratione expleta, professuræ singulæ accedentes genuflectunt ante Priorissam sedentem et, positis manibus suis inter eiusdem manus ac libro Constitutionum vel Statutorum superposito manibus utriusque, professionem renovant intelligibili voce proferendo verba professionis iuxta sequentem formulam Ordini propriam, ipsam aptando secundum statuta Instituti:

Ego soror *N. N.* rénovo professionem
et promítto obœdiéntiam Deo
et beátæ Maríæ et beáto Domínico
et tibi soróri *N. N.*, Prioríssæ generáli huius Institúti *N.*,

et successoribus tuis

(*vel*: tibi soróri *N.N.*, Prioríssæ provinciáli Provinciæ *N.*
huius Institúti *N.*,

vel: tibi soróri *N.N.*, Vicáriæ generáli huius Institúti *N.*,

vel: tibi soróri *N.N.*, delegátæ...,

vice soróris *N.N.*, Prioríssæ generális
huius Institúti *N.*

et successorum eius),

secúndum régulam beáti Augustíni

et Institutiónes eiúsdem Institúti,

quod ero obœdiens tibi tuisque successoribus

ad annum (*vel*: ad triénnum).⁷⁵

CONCLUSIO RITUS

95. Renovata professione, tantummodo Priorissa sorores profitentes recipit ad osculum pacis, receptionis scilicet in Institutum, quo in Ordine nostro vinculum obœdientíæ et communionis significatur.

96. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Oratio universalis seu fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) fit modo in celebrationibus liturgicis consueto.

⁷⁵ Cf. LCO, n. 199, § I; 201, § I.

CAPUT V

MISSA IN XXV VEL L ANNIVERSARIO PROFESSIONIS

97. In xxv vel l anniversario professionis religiosæ peculiaris celebratio, quamvis non habeatur in traditione Ordinis, causa pietatis necnon et pastoralis actionis haberi potest, cum professionis confirmatione intra Missam.⁷⁷

98. Missa⁷⁸ dici potest, cum vestibus coloris albi, diebus quibus Missæ “pro variis necessitatibus” celebrari possunt, ad normam legum liturgicarum.

Post homiliam professio publice confirmari potest, ritu renovationis votorum adhibito (supra, nn. 93-96), formula autem sequenti:

Ego soror *N. N.* totaliter adhæreo professioni a me factæ
et promitto obœdiëntiam Deo
et beætæ Mariæ et beáto Domínico
et soróri *N.N.*, Prioríssæ generáli huius Institúti *N.*
et successóribus eius,
secúndum régulam beáti Augustíni
et Institutiónes eiúsdem Institúti,
grátiam Dei implórans
qua fidéliter professiõem meam adimplére possim
usque ad mortem.

99. Pro Missæ celebratione formularium aptum hic apponitur.

Ant. ad introitum

Ps 39, 8-9

Ecce vénio, Dómine, fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui, et lex tua in præcórdiis meis.

Collecta

Dómine, Deus fidélis,
da nobis, quæsumus, grátias tibi reférre

⁷⁷ Cf. «Intr. gen.», n. 15; OPR *Pr.*, n. 7.

⁷⁸ Cf. *Missale Romanum*, 1975², p. 774.

pro tua erga sorórem nostram *N.* benignitáte,
 quæ accéptum a te donum
 hódie confirmáre inténdit.
 Róbora in ea spíritum perféctæ caritátis,
 ut glóriæ tuæ et óperi salutis
 in dies váleat fervéntius inservíre.
 Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine,
 una cum munéribus oblatiónem sui,
 quam hódie soror nostra *N.* confirmáre desíderat,
 et per virtútem Sancti Spíritus
 imágini dilécti Fílii tui
 ámplius eam conformáre dignéris.
 Qui vivit et regnat.

Præfatio propria (cf. infra, in Appendice III).

Ant. ad communionem

Mc 3,35

Qui fécerit voluntátem Dei,
 hic frater meus et soror mea et mater est.

Post communionem

Súmptimus, Dómine, Corpus et Sáanguinem Fílii tui,
 quæ in iucúnda celebratióne huius anniversárii contulísti;
 concéde, quæsumus, ut soror nostra *N.*,
 cælésti pane potúque refécta,
 incépti itíneris ad te ducéntis
 felícem progréssum obtíneat.
 Per Christum.

In fine Missæ opportune canitur resp. *O spem miram* (AG, p. 871) vel *Média vita* (AG, p. 106) vel *Dómine Deus* (GOP, p. 356; GR, p. 401) vel alius cantus aptus.

PARS TERTIA

ORDO
RECEPTIONIS ET PROFESSIONIS
IN FRATERNITATIBUS S. DOMINICI

Monitum

Hic Professionis Ordo a Fraternitatibus clericalibus et laicalibus necnon et a iuvenum aggregationibus Ordini sociatis (vide infra, adn. 2) adhibendus est, perspectis aptationibus a Consiliis nationalibus Fraternitatum propositis et ab auctoritatibus Ordinis approbatis, versionibusque adhibitis quæ ab uniuscuiusque regionis Commissione liturgica Ordinis exstent paratæ.

Cum hæc sectio *Ritualis* a ceteris sectionibus forte publicetur disiuncta, paragraphi 1-8 "Introductionis generalis" præmittantur, qui breviter liturgiæ in Ordine historiam illustrent necnon et peculiarem indolem propositi vitæ evangelicæ in traditione Dominicana. Reliqui autem paragrahi omittantur, ut evidentius elucescat quod laici non sunt 'religiosi in sæculo constituti' sed potius christifideles qui Ordini cooptantur per assumptionem propositi vitæ evangelicæ suo statui in sæculo aptatæ, ad charisma sancti Dominici participantium.

CAPUT I

RITUS RECEPTIONIS CANDIDATORUM

DE MODO RECIPIENDI CANDIDATOS IN FRATERNITATES S. DOMINICI

1. LAICORUM ET CLERICORUM¹ IN SÆCULO VIVENTIUM receptio ad Ordinem Prædicatorum, utique in Fraternitates S. Dominici,² ex antiqua consuetudine,³ traditione habitus perficitur tamquam verus initiationis ritus; ideoque ipsorum “vestitio” initio anni probationis perficienda collocatur, utpote proprie “signum” receptionis ad Ordinem et admissionis in Fraternitatem localem, nondum vero incorporatio- nis Ordini, quæ per professionem sequetur.⁴

¹ De presbyteris nempe et de diaconis hic infra agitur.

² Hac denominatione, inter diversos cœtus ex quibus Ordo universus seu Familia Dominicana coalescit (cf. LCO, n.1, *Const. fund.*, § IX), hic colliguntur:

a) Fraternitates laicorum sancti Dominici seu associationes christifidelium utriusque sexus, de quibus hic principaliter agitur, “qui speciali Dei dono in spiritu apostolico s. Dominici ‘suam et aliorum salutem procurare intendunt’ per professionem vitæ evangelicæ, secundum formam vivendi ab Ordine pro eorum statu in sæculo adaptatam et rite approbatam” (LCO, n. 149, § I);

b) Fraternitates clericales seu associationes clericorum “qui vitam et ministerium suum spiritu s. Dominici informare satagunt” (LCO, n.149, § II; cf. *Declar. gen.*, n. 5, ASOP, 95, 1987, p. 88);

c) aliæ consociationes laicorum, iuvenum præsertim, valde inter se diversæ, “secundum spiritum s. Dominici viventes”, quæ propriis Statutis gubernantur sed tamen “constitutioni fundamentali [laicorum scilicet s. Dominici (RFL, nn. 1-7)] sunt conformes” (cf. ACG 1986, nn. 85; 87-89).

Ritus vero receptionis unus atque idem pro omnibus adhibetur, nisi aliud pro singulis cœtibus caveatur.

³ Huius enim ritus nonnulla elementa inveniuntur in ipsa *Regula Fratrum et Sororum Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici* (= ROPD), quam Magister Ordinis Prædicatorum Munio de Zamora (1285-1291) redigendam et anno 1285 publicandam curavit, quæque deinde approbata fuit ab Innocentio VII, die 26 iunii 1405. Vide etiam «Intr. gen.», adn. 44, et DB, cap. XXXIX : *Ordo benedictionis et impositionis scapularis*, pp. 462-468.

⁴ Cf. RFL, nn. 2 et 14; RFS, n. 4, § 2. Circa ‘professionem’ vide infra, adn. 38.

Pro receptione, vero, sodalium aliarum consociationum,⁵ nihil impedit quominus alius modus aptus admittendi candidatos ipsis proprior agnoscat, firma tamen eorum fidelitate ad Constitutionem fundamentalem Laicatus Dominicani (RFL, nn. 1-7)⁶ atque congrua ad hunc ritum accommodatione servata, praesertim circa orationum textus.

2. Quod vero huic formulario similitudo esse patet cum formulariis aliorum cœtuum Familiæ Dominicanæ, ex voluntate factum est ut Fraternitates quoque S. Dominici vero ritu sacro⁷ fruerentur neque eorum sodalium admissio, absque propria ecclesiali nota, ad meram adscriptionem restringeretur. Hæc enim ecclesialis dimensio seu ratio omnino necessaria videtur ut character baptismalis huius formæ vitæ evangelicæ illustretur ipsosque laicos aliosque Fraternitatum sodales coniunctos esse vitæ Ordinis sancti Dominici clarius ostendatur.

3. Die igitur qua christifideles laici vel clerici in Fraternitatem sancti Dominici admittuntur atque eorum probationis annus incipit, peculiarem ritum peragere præstat ad Dei gratiam impetrandam ipsorumque "propositum" sequendi Christum in Familia Dominicana exprimendum.

4. In hoc receptionis seu "vestitionis" ritu, candidati — laici vel clerici — ordinarie habitu Ordinis hodie non amplius induuntur, sed iuxta locorum consuetudines parvum scapulare accipiunt, forma et materia pro ipsis definitis. In eorum igitur rituali "vestitione", pro benedictione et impositione habitus nonnisi huiusmodi parvum scapulare adhibendum est; postea vero aliis approbatis "signis" — numismate nempe sancti Dominici, parva cruce aliove Ordinis signaculo — specialiter benedictis substitui potest.⁸

Quod enim revera in hoc præstat illud est quod iis exterioribus signis exprimitur, firmum nempe baptismale propositum Christum induendi ipsumque — auxiliante Virgine Maria Regina misericordiæ

⁵ Vide supra, adn. 2, sub littera c).

⁶ Cf. ACG 1986, nn. 87 et 89.

⁷ Cf. RFS, n. 12, § 1.

⁸ Cf. DB, n. 1209, p. 462.

et benevolentissima Ordinis Matre — in semetipsis viventem manifestandi: itaque ipsi laici vel clerici Ordinis “missionem apostolicam participant, studio, oratione et prædicatione secundum propriam cuiusque condicionem”, “tum in propria vita spirituali cum in servitio Dei et proximi in Ecclesia”, “ad exemplum S. Dominici, S. Catharinæ Senensis et maiorum nostrorum”.⁹

5. Omnes in Fraternitates S. Dominici recepti, sive laici sive clerici, vestitionis ritu in Familiam Dominicanam partem habere incipiunt et communitati seu Fraternitati loci cooptantur “ad vitam secundum sancti Dominici spiritum et charisma adimplendam”.¹⁰

6. Quod ut perfectius assequantur, ad participationem omnium bonorum spiritualium Ordinis admittuntur.¹¹ Insuper, ipsa die qua in Ordinem recipiuntur, candidati indulgentiam plenariam lucrare possunt¹² suetis conditionibus.¹³

7. Pro ingressu in Fraternitates vel Consociationes sancti Dominici, quo Familiæ Dominicanæ aliquis fit particeps, speciales servantur normæ¹⁴ ab Ordine præfinitæ.

⁹ Cf. RFL, nn. 5 et 4; RFS, *Proœmium* et nn. 1-3, 6, § 9.

¹⁰ Cf. RFL, nn. 2 et 3; RFS, n. 12, § 1.

¹¹ Ex indulto Pii VII, 6 iul. 1806 : ACG 1932, *Const.*, n. 236, I.

¹² Cf. Decretum Pœnit. Apost., 25 oct. 1967, ASOP 76, 1968, p. 579.

¹³ Hæ sunt : sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis, una cum exclusione omnis affectus erga quodcumque peccatum etiam veniale (cf. *Const. Apost. Indulgentiarum Doctrina*, Normæ, n. 7).

¹⁴ Hæ normæ continentur in *Regula Fraternalitatum Sacerdotalium S. Dominici* [a Congregatione pro Religiosis et Institutis Sæcularibus die 7 septembris 1987 “ad septennium” approbata, a Magistro Ordinis promulgata (ASOP 95, 1987, pp. 199-206)] et a Congregatione pro Institutis Vitæ Consecratæ et Societatibus Vitæ Apostolicæ definitive die 3 decembris 1996 approbata (prot. n. D. 37-1/96)] et in *Regula Fraternalitatum Laicalium S. Dominici* [a Congregatione pro Religiosis et Institutis Sæcularibus die 15 ianuarii 1987 “definitive” approbata et a Magistro Ordinis die 28 ianuarii 1987 promulgata (ASOP 95, 1987, pp. 83-88)]. Quibus accedunt determinationes speciales Capitulorum Generalium — præsertim Abulæ 1986 (Acta, nn. 85-89) — necnon Statuta diversarum Provinciarum.

8. Laicorum receptio seu vestitio “committitur responsabili laicali”¹⁵ (Priori vel Priorissæ), qui ritui præest una cum Adsistente religioso (Fratre scilicet Ordinis vel alio sacerdote seu diacono vel religiosa Ordinis, speciali facultate præditi), uniuscuiusque illorum proprii officii functione servata.¹⁶

Clericorum vero receptionem seu vestitionem regulariter peragunt superiores Ordinis aut eorum delegati, prout specialiter pro illis cavetur.¹⁷

Quod igitur in hoc ritu de Præsidente seu de Responsabili dicitur, intelligendum est de Priore vel de Priorissa aut de Fratere Ordinis vel eius delegato in receptione clericorum; quod autem de Celebrante dicitur, hoc de Adsistente religioso vel religiosa intelligendum est.

9. Ubi mos est, huic ritui Adsistens præest cappa Ordinis indutus, si est Frater aut Soror Ordinis, vel superpelliceo et stola si est alius sacerdos vel diaconus, facultate præditi.

10. Receptionis ritus celebratione communi, quantum fieri potest, perficiatur.¹⁸ Inseri potest celebrationi alicuius partis Liturgiæ Horarum (Laudum præsertim aut Vesperarum), vel peculiari verbi Dei celebrationi, quæ novi perfectionis itineris naturam ostendat ac nostri Ordinis vocationem et missionem illustret. Hic autem ritus extra Missam peragatur.

A professionis quoque ritibus hæc receptionis celebratio separetur, cum nondum characterem stabilitatis sed probationis tantum indolem habeat, nisi circumstantiæ particulares vel pastorales rationes aliter suadeant.¹⁹

11. De intimatione novitiatus fiat registratio in libro admissionum, a singulis novitiis et a duobus testibus subscripta.

¹⁵ Cf. RFL, n. 16.

¹⁶ Cf. RFL, n. 16; vide etiam DB, n. 1208, p. 462.

¹⁷ Cf. RFS, n. 16, § 2.

¹⁸ Cf. DB, n. 1208, p. 462.

¹⁹ Cf. supra, «Intr. gen.», n. 11.

RITUS INITIALES

12. Populo vel saltem Fraternitatis loci ceterisque, si adsint, Familiæ Dominicanæ sodalibus coadunatis, Responsabilis laicalis, qui celebrationi præsidet, et Adstans religiosus simul ingrediuntur, dum convenienter canitur psalmus vel cantus, naturæ celebrationis congruentes, vel hymnus Laudum aut Vesperarum, si ritus cum iis uniatur. Cantu absoluto Celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant et respondent:

Amen.

13. Deinde Celebrans, monitionis instar, hæc vel similia dicit:

Dóminus Iesus, qui nos in Spíritu Sancto cleménte vocávit, et nunc in nómine suo benigne coadunávit, suam in nobis gloriósam maniféstet præsentiam. Et sicut beáto Domínico, patri nostro, ita et nobis veram et effícacem largiátur caritátem, qua nostram et aliórum salútem procuráre possimus,²⁰ tamquam veri eius discípuli.

INTERROGATIO VEL POSTULATIO

14. His expletis, Præsidens candidatos interrogat:

Fílii (Soróres/Fratres) dilectíssimi (dilectíssimæ), quid quæritis?

Candidati omnes simul respondent:

Ut misericórdia Dei et vestra²¹ partem habeámus in Família Dominicána.

²⁰ Cf. Iordanus, n. 13.

²¹ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

15. Vel, si placet, postulatio fieri potest ab uno pro omnibus, sequentibus²² vel similibus verbis:

Misericórdia Dei compúlsi
huc vénimus ad conversatióem experiéndam vestram,
ut ad exéplum sancti Domínici, sanctæ Catharínæ Senénsis
aliorúmque maiórum vestrórum,
qui vitam Órdinis et Ecclésiæ illustravérunt,
ipsi, communióne fratérna roboráti,
in primis de nostra fide testimónium reddámus
hominúmque huius témporis necessitatés efficaciter audiámus
et veritatí alácrité serviámus.
Hodiérni inde apostolátus Ecclésiæ
fines præcípuos sédulo considerántes, quærimus adiuvári,
speciáli modo impúlsi, ad misericórdiam veram
erga omnes anxietátes manifestándam,
ad libertátém strénue propugnándam,
ad iustítiam et pacem promovéndam.

Præsídens respondet his vel similibus verbis:

Miséricors Deus grátia vos fóveat sua
et divínus Magíster vobis tríbuat abundántiam sui Spíritus
et suæ pacis solácium.

Omnes:

Amen.

16. Tunc Adsistens omnes ad orationem invitat, dicens:

Orémus.

Et omnes breviter silentio orant. Deinde Adsistens prosequitur:

Deus, sanctæ vocatiónis largítor,
qui evangélicæ prædicatiónis mínístrum

²² Cf. RFL, nn. 5-6.

beátum Domínicum Ecclésiæ donásti,
 hos fámulos tuos (et ancíllas tuas) propítius réspice
 qui (quæ), ipsíus evangélicum propósitum amplécti cupiéntes,
 nostræ petunt aggregári familiæ;
 et concéde propítius ut eórum (eárum) fratérna conversátio
 in mútuam dilectiónem convertátur.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

CELEBRATIO VERBI

17. Tunc leguntur textus apti, convenienter ab ipsis candidatis selecti, in primis e Sacris Scripturis desumpti (cf. infra, in Appendice I). Qui textus novitatem vitæ scilicet per baptismum acceptam illustrent, ad laicalis vocationis indicandum nexum cum baptisate aliisque initiationis christianæ sacramentis et muneribus, congruis interiectis cantibus vel apto responso.

Adhiberi possunt etiam aliæ aptæ lectiones vel ex Ecclesiæ aut Ordinis documentis vel e sanctis Patribus. Brevitati vero consulendi causa, una tantum lectio fieri potest, e Sacris Scripturis deprompta.

18. His peractis, præ oculis habens textus lectos, Præsídens — aut Adsiſtens, si id magis expedire videatur — brevem allocutionem facit, qua sensum celebrationis adstantibus illustret, de indole vocationis sæcularis sodalium Fraternitatum sancti Dominici eorumque apostolica actuositate, secundum eiusdem sancti Dominici spiritum et charisma necnon et propriam eorum condicionem.

RECEPTIO CANDIDATORUM

Interrogationes

19. Sermone expleto, Præsídens candidatos ad surgendum invitatur eorumque voluntatem requirit, his vel similibus verbis:

Vultis, firma intentióne,
 in novitáte vitæ fidéliter ambuláre
 tamquam viri evangélici (mulíeres evangélicæ),
 qui (quæ) suam et aliórum salútem procuráre desíderant?²³

²³ Cf. *I Const.*, d. II, c. 31; LCO, n. 1, *Const. fund.*, § II.

Candidati omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.²⁴

Præsicens:

Vultis corde pæniténti vitam amplécti evangélicam
secúndum beáti Domínici apostólicum propósitum?

Candidati:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Præsicens:

Vultis ergo in Famíliam Dominicánam partem habére
ad conversatióem nostram experiéndam
in sancti Domínici Régulæ observántia?

Candidati:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Præsicens eorum voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.²⁵

Et adstantes respondent:

Amen.

Benedictio scapularis

20. Deinde Adsistens surgit et scapularia benedicit, iunctis manibus:

Orémus.

²⁴ *Directorium* XI, 9, p. 118.

²⁵ *I Const.*, d. I, c. 13.

Dómine Iesu Christe,
 qui tégimen nostræ mortalitátis indúere dignátus es:
 obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam,
 ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres
 ad innocéntiæ et sanctitátis indícium ferre sanxérunt,
 ita bene ꝛ dícere dignéris
 ut qui (quæ) hoc usus (usa) fúerit te indúere mereátur,
 qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.²⁶

Vel:

Deus, sanctitátis auctor et consummátor,
 qui renátos ex aqua et Spíritu Sancto
 ad vitæ christiánæ plenitúdinem
 et caritátis perfectiónem vocas,
 fámulas famulósque tuos propítius réspice
 hoc Órdinis nostri scapuláre devóte suscipiéntes,
 ut Christi Filii tui imágini confórmes efficiántur
 et huius vitæ cursu feliciter consummáto,
 Deípara Vírgine eiúsdem Órdinis Patróna auxiliánte,
 in gáudium domus tuæ intráre mereántur.²⁷
 Per Christum Dóminum nostrum.

R/. Amen.

Impositio scapularis seu "vestitio"

21. Postea Præsídens scapulare candidatis imponit, semel pro omnibus elata voce verba sequentia vel similia proferens:

²⁶ *Eccl. off.*, f. 51r A; cf. ROPD, III, n. 9. Hæc eadem oratio de benedictione scapularis, a primævis Constitutionibus in professionis ritu adhibita (cf. *I Const.*, d. I, c. 15), desumpta est ex antiquis ritualibus monasticis et a Prædicatoribus adoptata in Capitulo generali anni 1236 (cf. MOPH III, p. 8 et G.G. Meersseman, *Regula Fratrum et Sororum Ordinis de Penitentia Beati Dominici, Fundatoris et Patris Fratrum Ordinis Predicatorum*, in *Dossier de l'Ordre de la Pénitence au XIIIe siècle* ["Spicilegium Friburgense", 7], Fribourg 1961, pp. 144-156, præsertim p. 145, § 9).

²⁷ Cf. DB, n. 1218, p. 466.

Accípite (Áccipe) hunc hábitum
 quo, auxiliánte Vírgine María, misericórdiæ Matre,
 admíssio in Famíliam Dominicánam vobis (tibi) largítur
 et aggregátio nostræ Fraternitáti *N.* exprimitur;
 ita ágite (age) ut, ipsa Deípara intercedénte,
 ad Trinitátis glóriam et Ecclésiæ hominúmque bonum
 in dies Christum indúere satagátis (sátagas)
 eúmque in vobis (te) vivéntem manifestétis (manifestés).²⁸

R. Amen.

22. Unusquisque postea ad Præsidentem singulariter accedit, coram ipso genua flectendo, scapulare recepturus una cum osculo pacis, quod est signum receptionis in Ordinem et admissionis in Fraternitatem localem.²⁹

Vestitione expleta, Adsistens candidatos una simul³⁰ aqua benedicta aspergit.

23. Tunc Præsidentem, ad novos fratres et sorores versus, dicit:

Hoc scapulári Órdinis nostri indúti
 in Fraternitátem laicálem sancti Domínici suscepsti estis
 ut in spírítu et charísmate Órdinis ipsíus
 Christo eíusque Ecclésiæ impénsius servíre valeátis.
 Quod ut perféctius assequámini,
 ego, ex potestáte mihi concéssa,
 ad participátionem ómnium bonórum spirituálium
 unívérsi Órdinis sancti Domínici vos admítto.³¹

24. Deinde Adsistens insignia quæ loco scapularis adhiberi possunt (ex. gr. numisma sancti Dominici, parvam crucem aliumve Ordinis signaculum) benedicit et singulis candidatis tradit.³²

²⁸ Cf. DB, n. 1219, p. 467.

²⁹ Cf. supra, n. 1.

³⁰ Cf. ROPD, III, n. 9.

³¹ Cf. DB, n. 1221, p. 468. Cf. etiam ACG 1932, *Const.*, n. 236, I; supra, n. 6.

³² Cf. supra, n. 4.

Traditio Regulæ

25. Deinde, sicubi expedire videatur, librum Regulæ Præsidents unicuique candidatorum tradit, his vel similibus verbis:

Accipe nostræ familiæ Régulam,
 ut eam fidéliter servándo
 Christi plénius efficiáris discípulus
 ipsúmque sápiens vere eo coram homínibus lúceas,
 ut vídeant ópera tua bona
 et glorificent Patrem qui in cælis est.³³

Candidatus (vel candidata) respondet:

Amen.

Oratio universalis

26. Sequitur oratio universalis, modo in celebrationibus consueto, iuxta formularium quod in Appendice affertur (II, nn. 62-65).

Si autem ritus cum Laudibus vel Vesperis uniatur, sequitur *Canticum Zachariæ* vel *Magnificat* cum sua antiphona, et cetera more solito. Oratio universalis fit iuxta formularium precum Liturgiæ Horarum, invocationem pro novis fratribus vel sororibus inserendo.

Deinde dicitur oratio quæ est in fine Laudum vel Vesperarum, si ritus cum earum celebratione uniatur.

Receptio fraterna et intimatio temporis probationis

27. Postea novitii eant dando pacem unicuique sodalium Fraternitatis loci, dum canitur ps. 132 *Ecce quam bonum* vel ant. *Ubi caritas* vel ant. *O spem miram* vel alius cantus congruus.

³³ Cf. Mt 5,16.

28. Quibus expletis novitii ante gradum altaris coram Præsidente redeunt, qui eis — si opportunum videtur — aliud nomen, christianum scilicet, addere potest, unicuique dicens:

Ex baptismo est nomen tuum *N.*,
in Órdine vocáberis frater (soror) *N.N.*.³⁴

Deinde Præsicens novitios (novitias) curæ Magistri (Magistræ) tradit, tempus probationis assignans, iuxta Statutorum præscripta.³⁵

CONCLUSIO RITUS

29. His omnibus peractis, Adstans — aut Præsicens, si id magis expedire videatur — orationem finalem dicit:

Orémus.

Ánne, Dómine, famíliæ tuæ précibus,
et intercedénte Dei Genetríce María,
Órdinis nostri Matre benevolentíssima et Patróna,
his fámulis tuis
qui (quæ) nostram cúpiunt conversatiónem experíri
perseverántiæ virtútem infúnde,
et fac ut baptísmatis grátia,
quam novo cúpiunt consílio roborári,
plenum in eis sumat efféctum,
quo Sancti Spíritus roboráti auxiliis
voluntátem tuam sincéra mente exquirant
et perseveránti ánimo váleant adimplére.
Per Christum Dóminum nostrum.³⁶

Vel:

Imitémur, fratres (soróres), ut póssumus,
sancti patris Domínici vestígia,

³⁴ Cf. PS, p. 155.

³⁵ Cf. RFL, n. 17.

³⁶ Cf. OPR I, n. 142 ; OPR App. III, p. 120.

simul et agámus grátias Redemptóri
 qui talem in via hac, qua ambulámus,
 ducem exhibuit servis suis,
 per eum nos in huius conversatiónis lucem regénerans;
 et deprecémur misericordiárum Patrem,
 ut illo nos regénte Spíritu, quo filii Dei agúntur,
 per términos quos posuérunt patres nostri
 ad eándem metam
 perpétuæ felicitátis et sempitérnæ beatitúdinis,
 ad quam ille sine fine felix introívit,
 nos quoque indefléxo trámite pertíngere mereámur.³⁷
 Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

30. Celebrans ritum concludere potest dicens:

Omnípotens Deus sua vos cleméntia benedícat,
 et sensum in vobis sapiéntiæ salutáris infúndat.

℟. Amen.

Fídei documéntis vos semper enútriat,
 et in sanctis opéribus, ut pèrseverétis, effíciat.

℟. Amen.

Gressus vestros efficáciter dírigat
 et in prædicatióne Evangélii pacis viam vobis osténdat.

℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis,
 Patris, et Fílii, ☩ et Spíritus Sancti,
 descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

³⁷ Cf. Iordanus, n. 109.

31. Adsistens in fine dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℞. Qui fecit cælum et terram.

32. Ritus concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, antiphona *Salve Regína* vel alio cantu; quo expleto, adstantes novos fratres et sorores salutant, secundum loci consuetudinem.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS

DE MODO FACIENDI PROFESSIONEM IN FRATERNITATIBUS S. DOMINICI

33. Vitæ evangelicæ professionem,³⁸ qua Ordo noster per sæcula communionem inter fratres et laicos fovit,³⁹ etiam nostris temporibus sedulo promovet, laicos necnon et clericos in Fraternitates et Conso- ciationes peramanter excipiens,⁴⁰ certam viam ita ipsis præbens qua propriam vocationem sæcularem in Ecclesia et in mundo adimplere possint, “secundum sancti Dominici spiritum et charisma”.⁴¹ Ipse

³⁸ Cf. LCO, n.149, § I. Verbum ‘professio’, quo adhuc documenta officialia Ordinis pro Fraternitatibus S.Dominici (vide supra, adn. 3 et 4) utuntur, aliter ac in formulariis pro religiosiis in hoc ritu a sodalibus Fraternitatum adhibendo, propositum indicat vitæ evangelicæ ab illis laicis vel clericis assumptum qui, Ordini suo proprio vinculo adnexi, eius spiritum atque missionem participant (cf. CIC, c. 725) “secundum formam vivendi ab Ordine pro eorum statu in sæculo adaptatam” (LCO, n. 149, § I).

³⁹ Iam ipsis exordiis Ordinis, constat (cf. Vicaire, *Les origines*, pp. 392-409) sanctum Dominicum et aliquos inter fratres eius, licet adhuc sua sponte et actione individuali, fecundam actuositatem apostolicam exercuisse apud laicos, mulieres præsertim (cf. Constantinus, n. 120). Sed et institutionalis forma hæc Ordinis necessitudo cum laicis initium habuit iam inde ab anno 1285, cum Magister Ordinis, Munio de Zamora (1285-1291), *Regulam Fratrum et Sororum Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici* (= ROPD) edidit (cf. G.G. Meersseman, *Études sur les anciennes confréries dominicaines*, IV : *Les milices de Jésus-Christ*, in AFP 23 [1953], pp. 275-308). Exinde neminem latet quantopere in cunctis mundi regionibus necessitudo illa creverit atque quam multi moribus, doctrina ac sanctitate insignes decursu sæculorum in Fraternitatibus “de pœnitentia” sancti Dominici usque ad hodiernos dies claruerint.

⁴⁰ Præclara testimonia habentur in ipsis Constitutionibus (cf. LCO, nn. 149-151) et in Actis Capitulorum Generalium (inde ab a.1968, præsertim Abulæ, 1986, nn. 85-89, et Città del Messico 1992, n. 128), conformiter ad traditionem Ordinis et ad doctrinam Ecclesiæ post Concilium Vaticanum II renovatam, de laicorum vocatione et missione in Ecclesia et in mundo promovenda (cf. LG, nn. 30-38; AA, nn. 1-33; CL, nn. 1-64).

⁴¹ RFL, n. 2; RFS, n. 3.

enim prædicationem Christi renovans clamantis «pœnitementi et credite Evangelio»,⁴² fidelium quoque in sæculo viventium ad Ordinem “de Pœnitentia” seu de conversione nuncupatum accessum paravit.

34. Qui omnes ad Ordinem vocati evangelicam vitam secundum s. Dominici regulam viva fide agere profitentur in omnibus eorum inceptis et consiliis, iuxta propriam condicionem, tam in ambitu domestico et labore exercendo quam in ceteris actuositatibus, Deo et fratribus inservientes, veritatem in caritate facientes.⁴³

35. Tam Fraternitatum sancti Dominici quam aliarum consociationum laicalium sodales⁴⁴ “Ordini incorporantur” professione seu speciali promissione,⁴⁵ qua directe Magistro Ordinis subduntur atque “communis vocationis participes suo modo missioni Ordinis in mundo inserviunt”.⁴⁶ Exinde, in corde ecclesialis missionis collocati, mutuam cum ceteris Familiæ Dominicanæ cœtibus collaborationem fovere conantur, “ut ministerium Ordinis diversis in campis tam Ecclesiæ quam mundi plenius exerceatur”.⁴⁷

36. Professio vel promissio “ad tempus est aut perpetua”⁴⁸ et emittitur sub una eademque formula, temporis tantum indicatione mutata, prout in ritu habetur ex Regula Fraternitatum deprompta.⁴⁹

37. Ritus professionis, tam ad tempus quam perpetuæ, fit in ecclesia Ordinis vel in ea ubi Fraternitas loci ordinarie coadunatur, utique coram communitate, convenienter quidem intra Missam vel in connexionione cum celebratione alicuius Horæ divini Officii, Laudum præsertim aut Vesperarum.⁵⁰

⁴² *Mc* 1, 15.

⁴³ Cf. *Ef* 4, 15.

⁴⁴ Vide supra, adn. 2.

⁴⁵ Cf. RFL, n. 2; cf. *ibid.*, n.14. Vide supra, adn. 38.

⁴⁶ LCO, n. 141.

⁴⁷ LCO, n. 150.

⁴⁸ Cf. RFL, n. 14. Pro sodalibus vero Fraternitatum clericalium professio tantummodo perpetua exstat (RFS, n. 13).

⁴⁹ Cf. RFL, n. 14 (et iam in ROPD IV, n. 13); RFS, n. 13, § 2.

⁵⁰ Cf. RP, n. 2.

38. Utraque laicorum professio, sive fratrum sive sororum, "recipitur a Responsabili laicali" — priore seu priorissa — Fraternitatis loci vel ab eorum delegatis, "simul cum Adsistente religioso";⁵¹ presbyterorum vero professio, sive ad tempus sive perpetua, a superioribus Ordinis recipitur vel ab eorum delegatis.⁵²

39. Vi talis professionis seu specialis promissionis, nomine Ecclesiæ ab Ordine acceptæ et ratificatæ, tam presbyteri quam utriusque sexus laici, "cum aliis cœtibus Ordinis unam familiam constituunt"⁵³ eiusque bonis spiritualibus fruuntur.⁵⁴

40. De professione emissa adnotatio fiat in libro professionum, quæ subscribatur ab unoquoque professorum et ab eo qui (vel ab ea quæ) ipsam recepit, una cum Adsistente religioso et secretario.

RITUS PROFESSIONIS IN FRATERNITATIBUS S. DOMINICI INTRA MISSAM PERAGENDUS

41. Analogice ad hoc quod Ecclesia prævidet pro ceteris membris Familiæ Dominicanæ, hic ritus intra Missam peragendus proponitur, quamvis in hac sodalium Ordinis professione, sua ipsius natura,⁵⁵ absit consecrationis ratio, ob quam Ecclesia professorum oblationem Christi oblationi in Sacrificio eucharistico consociat.⁵⁶ Per suam utique peculiarem oblationem candidati ad Christi sequelam firmius convertuntur, communi innixi sacerdotio super baptismum fundato.

⁵¹ Cf. RFL, n. 17.

⁵² Cf. RFS, n. 16, § 2.

⁵³ Cf. RFL, n. 3 ; RFS, *Proœmium*, p. 200. Vide etiam LCO, n. 1, *Const. fund.*, § IX et n. 141.

⁵⁴ Ex indulto Pii VII, 6 iul. 1806: ACG 1932, *Const.* n. 236, I.

⁵⁵ Vide supra, adn. 38.

⁵⁶ Cf. LG, n. 45; OPR *Pr.*, n. 2 et RP, p. 106.

Commendatur igitur huius ritus collocatio intra Missam, ut baptismatis gratia — quam ipsi profitentes novis nexibus cupiunt roborari, vitam et missionem Ordinis amplectendo — per oblationem Christi plenior in eis sumat effectum. Ipsi enim, professione vitæ evangelicæ roborati, secundum spiritum et charisma Ordinis Prædicatorum, verbo et opere regnum Dei quærere satagunt in rebus temporalibus gerendis et secundum Deum ordinandis dum in sæculo vivunt, scilicet in mundi officiis et operibus atque in ordinariis condicionibus vitæ ministerialis vel familiaris et socialis: quo fit ut Baptismi gratia uberiores in eis afferat fructus ad ipsorum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.⁵⁷

Maxima ergo adhibeatur cura, ut huius ritus peculiaris indoles servetur neque ipsi ea inserantur quæ professionis religiosæ sunt.

42. Professio de more fit ad sedem specialem quæ pro Præsidente opportune paratur ante altare, distincta quidem a sede Celebrantis. In presbyterio autem omnia disponantur ut etiam alii fideles celebrationi convenienter possint adesse.

43. Adhibetur “Missa de die” vel, ad normam legum liturgicarum, Missa “votiva” de beata Maria Virgine vel de beato Dominico aliisve Sanctis, qui in Ordine de Pænitentia eminuerint, vel de mysterio quod spiritui Familiæ Dominicanæ aut devotioni profitentium magis congruat.⁵⁸

44. Celebrationi Eucharisticæ ordinarie præest Adsistens Fraternitatis loci, sacerdotio præditus, præter Magistrum Ordinis in universo Ordine, Priorem provincialem et Promotorem provincialem in sua quemque Provincia, si adiuncta id expostulant.

Sicubi celebrationi præsit prælatus Ordinis, Adsistens religiosus, qui sacerdos non sit sed frater vel soror Ordinis, cappa Ordinis adstet indutus, ubi mos est; aut superpelliceo et stola, si Ordinis non sit sodalis.⁵⁹

⁵⁷ Cf. LG, n. 31; AA, n. 4; CL, nn. 8-17.28-29.33-36.49-56.

⁵⁸ Cf. RP, n. 25.

⁵⁹ Cf. supra, nn. 8-9.

RITUS INITIALES

45. Celebratio opportune incipit cantu introitus cum processione ingressus ad altare, cui laudabiliter intersunt professuri, scapulari Ordinis induti, comitantibus Responsabile laicali Fraternitatis loci atque Magistro (Magistra) novitiorum (vel novitiarum).

Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum actio liturgica prosequitur.

46. Loco actus pænientialis initio opportune haberi potest ritus aspersionis aquæ benedictæ, ad evocandum nexum cum consecratione baptismali. Dicitur, iuxta rubricas, *Glória in excelsis* et sacerdos profert orationem collectam.

LITURGIA VERBI

47. In liturgia verbi lectiones vel e "Missa diei" vel ex Sacra Scriptura libere sumi possunt, ex illis præsertim quæ in peculiari lectionario (infra, in Appendice I) proponuntur.

PROFESSIO VITÆ EVANGELICÆ

Interrogatio vel postulatio

48. Dicto Evangelio omnes sedent, professuri vero stant ante altare. Tunc Præsidentis, accedens ad gradus altaris, eorum voluntatem exquirat dicens:

Quid quæritis?

Cui omnes simul respondent:

Misericórdiam Dei et vestram.⁶⁰

49. Vel, si placet, ommissa Præsidentis interrogatione, unus ex professoris, stans ad Præsidentem conversus, nomine omnium postulationem facere potest his vel similibus verbis:

⁶⁰ Cf. *I Const.*, d. I, c. 13.

Nos, *N. et N.*, cum misericórdia Dei sancti Domínici Régulam vobis tráditam novérimus et fratérne vobíscum probatiónis degérimus tempus, a te, *N. N.*, huius Fraternitátis Præpósito (Præpósita), póscimus ut in Órdine sancti Domínici, modo nobis próprio, professionem vitæ evangélicæ emittámus et in hanc Fraternitátem incorporémur, ut dulcédinis societátis⁶¹ et missiόνis Órdinis efficiámur partícipes.

Præsídens et omnes adstantes hæc vel similia respondent:

Deo grátias.

Homilia seu allocutio

50. His peractis, professuri quoque sedent et sacerdos facit homiliam in qua opportune illustrat tum lectiones biblicas tum peculiarem indolem vocationis sæcularis sodalium Fraternitatum sancti Dominici.

Interrogationes

51. Homilia expleta, professuri surgunt et, si placet, ex flamma cerei Paschalis vel altaris candelam accendunt, quam in manibus accensam habebunt usque ad processionem offertorialem. Mox Celebrans voluntatem eorum requirit, interrogationibus quæ sequuntur vel istis similibus.

Celebrans:

Fratres dilectíssimi (Soróres dilectíssimæ)
quos (quas) aqua et Spíritus Deo sacrávit,
vultis novo título professionis vitæ evangélicæ
árctius Christo et Ecclésiæ servítio mancipári? ⁶²

⁶¹ Cf. Albertus Magnus, *Tract. in politicam*, in *Opera omnia*, vol. VIII, Paris 1891, p. 804.

⁶² Cf. OPR I, n. 27; LCO, n. 149, § I; *ibid.*, n. 19, § II.

Professuri (vel professoræ) omnes simul respondent:

Volo, cum adiutório Dei et vestro.⁶³

Celebrans:

Vultis in novitate vitæ ambulare
secundum apostolicum propòsitum,
a sancto Domínico concéptum
sicut evangélii præcónes sui sequentes vestigia Salvatòris? ⁶⁴

Professuri (vel professoræ):

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Celebrans:

Vultis, Deum et próximum serviétes, cum Ecclésia sentíre
et, ut membra Órdinis, eius missiónem apostólicam participáre
oratióne, stúdio et prædicatióne,
secundum vestram laicálem condicióne? ⁶⁵

Professuri (vel professoræ):

Volo, cum adiutório Dei et vestro.

Tunc Præsídens eorum (earum) voluntatem confirmat dicens:

Dóminus qui incépit, ipse perfíciat.⁶⁶

Omnes:

Amen.

Divinæ gratiæ expostulatio

52. Interrogationibus expletis, supplicatio pro fratribus et sororibus
professoris fieri potest, præsertim si de professione perpetua agitur.

⁶³ *Directorium* XI, 9, p. 118.

⁶⁴ Cf. LCO, n. 1, *Const. fund.*, § II.

⁶⁵ Cf. RFL, n. 4.

⁶⁶ *I Const.*, d. I, c. 13.

53. Pro supplicatione omnes surgunt. Sacerdos stans, manibus iunctis, ad populum conversus dicit:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum Patrem omnipoténtem
ut super hos fílios suos (et fílias suas)
quos (quas) ad pleniórem Christi sequélam vocávit,
benedictiόνis suæ grátiam cleménter effúndat
eósque (eásque) in sancto propósito
benígna pietáte confírmet.

54. Mox sacerdos adstantes ad orationem invitat dicens:

Orémus.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde sacerdos dicit:

Réspice, quæsumus Dómine,
super hos fílios tuos (fílias tuas)
qui (quæ) hódie coram Ecclésia
corde pæniténti vitam evangélicam profiténtur,
et præsta ut baptísmatis grátia,
quam novis cúpiunt néxibus roborári,
plenum in eis sumat efféctum
quo Sancti Spíritus muníti (munítæ) præsídiis
tuæ maiestáti cultum retríbuant débitum
et Christi regnum apostólicó dilátent ardóre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Professio

55. His præhabitis, Præsídens cui spectat professionem accipere vadit ad sedem ibi specialiter præparatam pro recipienda professione.

Tunc unusquisque novitiorum vel novitiarum, genuflectens ante Præsidentem, professionem facit. In professione emittenda sequens aut similis quoad substantiam formula adhibeatur:

Ad honórem Dei omnipoténtis
 Patris et Fílii et Spíritus Sancti,
 et beátæ Maríæ Vírginis et sancti Domínici,
 ego *N. N.*, coram vobis:
N. N., Prióre (Præsidénte) huius Fraternitátis
 et *N. N.*, Adsiaténte,
 vice Magístri Órdinis Fratrum Prædicatórum,
 promitto me velle vívere secúndum Régulam
 Laicórum sancti Domínici
 per triénnum (*vel*: per totam vitam).⁶⁷

Si autem professuri complures sunt, professionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis: «Promitto me velle...» vel similibus, quæ in ipsa formula singulorum voluntatem declarent.

Osculum pacis et insignium professionis traditio

56. Emissa professione, tantummodo Præsidens singulos profitentes recipit ad osculum pacis, quod est signum cooptationis ad Ordinem et admissionis in Fraternitatem localem.⁶⁸ Deinde ipsi ad locum suum redeunt ibique stant.

57. Tunc Præsidens professos admonet quod per cooptationem ad Ordinem ipsi ad participationem bonorum spiritualium universi Ordinis sancti Dominici admissi sunt.⁶⁹

58. Deinde, ubi mos est, fratres et sorores nuper professi accedunt ad Præsidentem (aut ad Celebrantem), qui Evangelii librum unicuique tradit his vel similibus verbis:

Accipe Evangélium pacis⁷⁰
 quod sit in corde tuo et in ore tuo,
 ut móribus tuis ipsum testíficans
 et fidéliter annúntians,

⁶⁷ RFL , n. 14; RFS, n. 13, § 2.

⁶⁸ Cf. supra, n. 1.

⁶⁹ Cf. supra, nn. 39 et 23.

⁷⁰ Cf. Iordanus, n. 57.

sal terræ et lux mundi efficiáris,⁷¹
ad honórem quidem Dei et animárum salútem.

Professus (vel professa) respondet:

Amen.

Et, accepto libro, ad locum suum redit ibique stat.

59. Si autem nuper professi sunt multi, aliave iusta de causa, Præsidens (aut Celebrans) Evangelii librum eis tradit formulam recitans semel pro omnibus, plurali aptatam.

60. Si secundum consuetudines locorum alia professionis insignia (ex. gr. Rosarii corona, numisma s. Dominici, anulum vel signaculum Ordinis) tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula, decora sobrietate servata.

Conclusio ritus professionis

61. Symbolum dicitur si rubricis liturgiæ diei præscribitur. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium (cf. infra in Appendice II, nn. 62-65).

LITURGIA EUCHARISTICA

62. Dum cantus ad offertorium peragitur, fratres et sorores nuper professi ad altare processionaliter accedunt cum candelis accensis sacerdoti offerendis, quas deinde ministrantes disponunt in loco apto; nonnulli vero ex ipsis fratribus et sororibus opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Sacrificio eucharistico et, si placet, alia dona iuxta consuetudines loci.

63. Postquam sacerdos Eucharistiam sumpsit, etiam omnes adstantes eam sub utraque specie sumere possunt, servatis semper dispositionibus Conferentiarum Episcoporum et Episcopi diocæsani.

⁷¹ Cf. *Rm* 10,8; *Mt* 5,13.14.

DIMISSIO

64. Oratione post communionem expleta, fratres et sorores nuper professi ante altare sistunt et sacerdos eos more solito una cum populo benedicit; vel, pro opportunitate, manibus super eos et populum extensis, dicere potest:

Deus, tanti óperis auctor et custos,
supérna sua vos tueátur grátia,
ut vestræ vocatiónis múnera fidéliter persolvátis.

℟. Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes testimónium et signum,
ut pópulus Dei prompta respóndeat actuositáte.

℟. Amen.

Divíni sui Spíritus advocántis grátia
corda vestra efficáciter fecúndet
pro Ecclésiæ et humánæ famíliæ proféctu.

℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ☩ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

65. Deinde diaconus vel sacerdos adstantes dimittit dicens:

Ite, missa est.

℟. Deo grátias.

66. Post dimissionem, actio liturgica concludi potest, sicut mos est pro quibusdam celebrationibus in Ordine, cantu *Salve Regína* vel alio cantu congruo; quo expleto, adstantes nuper professos salutant secundum loci consuetudinem.

RITUS PROFESSIONIS EXTRA MISSAM PERAGENDUS

67. Quando ritus professionis extra Missam peragitur,⁷² inseri potest in celebrationem verbi Dei, modo sequenti:

a) post cantum aptum, fit interrogatio vel postulatio candidatorum (nn. 48-49);

b) sequitur lectio verbi Dei, cui responditur cantu psalmi apti (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Præsidentis;

c) postea ipse ritus professionis habetur (nn. 51-60);

d) ritus concludi potest oratione universali (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65) — addita, si placet, *Oratione dominica* — et benedictione sollemni (n. 64).

68. Quando autem ritus intra Liturgiam Horarum peragitur (præsertim Laudum vel Vesperarum), proceditur modo sequenti:

a) post hymni cantum, fit interrogatio vel postulatio candidatorum (nn. 48-49);

b) sequuntur psalmodia et lectio verbi Dei, quod seligi potest ex textibus in Lectionario præbitis (cf. infra, in Appendice I). Fit deinde allocutio Præsidentis;

c) postea ipse ritus professionis habetur (nn. 51-60);

d) canitur postea *Canticum Zachariæ* vel *Magnificat*;

e) deinde dicitur oratio universalis seu fidelium (cf. infra, in Appendice II, nn. 62-65);

f) ritus concluditur recitatione *Orationis dominicæ*, oratione finali et benedictione sollemni (n. 64).

⁷² Cf. «Intr. gen.», n. 12.

APPENDIX

I

LECTIONES BIBLICÆ*

E VETERE TESTAMENTO

1. Gen 12, 1-4
Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et veni.
In diebus illis: Dixit Dominus ad Abram...
v. 4 usque ad *Dominus*.
2. I Sam 3, 1-10
Loquere, Domine, quia audit servus tuus.
In diebus illis: Puer Samuel ministrabat Domino...
3. I Reg 19, 4-9a. 11-15a
Sta in monte coram Domino.
In diebus illis: Perrexit Elias in desertum...
v. 9 usque ad *in spelunca*; v. 15 usque ad *in Damascum*.
4. I Reg 19, 16b. 19-21.
Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam.
In diebus illis: Dixit Dominus ad Eliam: «Eliseum, filium Saphat...».
5. Cant 2, 8-14
Surge, amica mea, et veni.
Vox dilecti mei: ecce iste venit...
6. Cant 8, 6-7
Fortis est ut mors dilectio.
Pone me ut signaculum...
7. Is 61, 9-11
Gaudens gaudebo in Domino.
Scient in gentibus semen populi mei...

* Hæc selectio deprompta est ex *Ordine Professionis Religiosæ* (1975).

8. Os 2, 14.19-20 (hebr.: 2,16.21-22)
Sponsabo te mihi in sempiternum.
 Hæc dicit Dominus: «Ecce ego lactabo eam...».
 [Versus 14 (16) poni debet secundum hebraicam
 veritatem].

PSALMI RESPONSORII

9. Ps 23, 1-2, 3-4ab, 5-6
 R/. Hæc est generatio quærentium faciem tuam, Domine.
10. Ps 26, 1, 4, 5, 8b-9abc, 9d et 11
 R/. Faciem tuam, Domine, requiram.
11. Ps 32, 2-3, 4-5, 11-12, 13-14, 18-19, 20-21
 R/. Beatus populus quem elegit Deus in hereditatem sibi.
12. Ps 33, 2-3, 4-5, 6-7, 89
Vel:
 10-11,12-13,14-15, 17 et 19
 R/. Benedicam Domino in omni tempore.
Vel:
 R/. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.
13. Ps 39, 2 et 4ab, 7-8a, 8b-9, 10, 12
 R/. Ecce venio, Domine, facere voluntatem tuam.
14. Ps 44, 11-12, 14-15, 16-17
 R/. Ecce sponsus, exite obviam Christo Domino.
15. Ps 62, 2, 3-4, 5-6, 8-9
 R/. Sitivit in te anima mea, Deus meus.
16. Ps 83, 3, 4, 5-6a e 8a, 11, 12
 R/. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.
17. Ps 99, 2, 3, 4, 5
 R/. Introite in conspectu Domini in exultatione.

E NOVO TESTAMENTO

18. Act 2, 42-47
Omnes qui crediderant erant pariter et habebant omnia communia.
In diebus illis: Erant discipuli perseverantes in doctrina apostolorum...
19. Act 4, 32-35
Cor et anima una.
In diebus illis: Multitudinis credentium erat cor et anima una...
20. Rom 6, 3-11
In novitate vitæ ambulemus.
Fratres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu...
21. Rom 12, 1-13
Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.
Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei...
22. I Cor 1, 22-31
Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.
Fratres: Iudæi signa petunt...
23. I Cor 7, 25-35
Virgo cogitat quæ Domini sunt.
Fratres: De virginibus præceptum Domini non habeo...
24. Eph 1, 3-14
Elegit nos Deus in Christo ut essemus sancti et immaculati in caritate.
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi...
25. Phil 2, 1-4
Idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes.
Fratres: Si qua consolatio in Christo...
26. Phil 3, 8-14
Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam.
Fratres: Existimo omnia detrimentum esse...

27. Col 3, 1-4
Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.
Fratres: Si conresurrexistis cum Christo...
28. Col 3, 12-17
Super omnia hæc caritatem, quod est vinculum perfectionis.
Fratres: Induite vos sicut electi Dei...
29. I Th 4, 1-3.7-12
Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.
Fratres: Rogamus vos et obsecramus...
30. I Petr 1, 3-9
Cum Iesum Christum non videritis, diligitis.
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi...
31. I Io 4, 7-16
Si diligamus invicem, Deus in nobis manet.
Carissimi, diligamus invicem...
32. Ap 3, 14.20-22
Cenabo cum illo et ipse mecum.
Hæc dicit Amen, Testis fidelis...
33. Ap 22, 12-14.16-17.20
Veni, Domine Iesu !
Ego Ioannes audivi vocem dicentem mihi:
«Ecce venio cito...».

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

34. Ps 132, 1
Ecce quam bonum et quam iucundum
habitare fratres in unum!
35. Cf. Mt 11, 25
Benedictus es, Pater, Domine cæli et terræ,
quia mysteria Regni parvulis revelasti.

36. Cf. Mt 19, 27.29
Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me
centuplum accipietis et vitam æternam possidebitis.
37. Cf. Mt 25, 1.6
Accensam servate lampadam fidei vestræ
et flammam caritatis fovete:
ecce Sponsus venit.
38. Lc 11, 28
Beati qui audiunt verbum Dei
et custodiunt illud.
39. Io 13, 34
Mandatum novum do vobis, dicit Dominus,
ut diligatis invicem sicut dilexi vos.
40. Io 14, 23
Si quis diligit me, sermonem meum servabit,
et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus,
et mansionem apud eum faciemus.
41. Io 15, 5
Ego sum vitis, vos palmites, dicit Dominus;
qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.
42. Cf. 2 Cor 8, 9
Iesus Christus egenus factus est,
cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.
43. Gal 2,19-20
Christo confixus sum cruci.
Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus.
44. Gal 6,14
Mihi absit gloriari, nisi in cruce Iesu Christi,
per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.
45. Phil 3,8-9
Omnia detrimentum feci,
ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo.

46. Cf. 2 Ts 2,12.13
 Elegit nos Deus primitias in salutem,
 in acquisitionem passionis et gloriæ Domini nostri
 Iesu Christi.

EVANGELIA

47. Mt 5, 1-12
Beati ... Gaudete et exsultate.
 In illo tempore: Iesus docebat discipulos dicens: ...
48. Mt 11, 25-30
Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis.
 In illo tempore respondens Iesus dixit ...
49. Mt 16, 24-27
Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.
 In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: ...
50. Mt 19,3-12
Qui potest capere, capiat.
 In illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi ...
51. Mt 19,16-26
Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et sequere me.
 In illo tempore: Ecce unus accedens ad Iesum ait illi ...
52. Mt 25, 1-13
Ecce sponsus, exite obviam ei.
 In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc:
 «Simile erit Regnum cælorum decem virginibus...».
53. Mc 3, 31-35
Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est.
 In illo tempore: Venit Mater Iesu et fratres...
54. Mc 10,24b-30
Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te.
 In illo tempore: Ait Iesus discipulis suis: «Filii...».

55. Lc 9,57-62
Nemo mittens manum suam in aratrum et aspiciens retro, aptus est Regno Dei.
 In illo tempore: Ambulantibus Iesu et discipulis suis in via...
56. Lc 10, 38-42
Martha excepit illum. Maria optimam partem elegit.
 In illo tempore: Intravit Iesus in quoddam castellum...
57. Lc 11, 27-28
Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt.
 In illo tempore: Extollens vocem quædam mulier...
58. Io 12, 24-26
Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.
 In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis:
 «Amen, amen dico vobis...».
59. Io 15, 1-8
Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.
 In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: «Ego sum vitis vera...».
60. Io 15,9-17
Vos amici mei estis, si facietis quæ ego præcipio vobis.
 In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis:
 «Sicut dilexit me Pater...».
61. Io 17, 20-26
Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.
 In illo tempore: Sublevatis Iesus oculis in cælum, oravit
 dicens: «Pater sancte, non pro his rogo tantum...».

II

ORATIO UNIVERSALIS SEU FIDELIUM

62. Formularium parari potest iuxta textus hic infra præbitos, ex quibus ea possunt seligi elementa quæ magis idonea putantur, vel alia apte parari possunt.

63. Monitio

a) in initio novitiatus:

Recordantes, fratres dilectissimi, Christi verba:
«Sine me nihil potestis facere»,
per ipsum exoremus misericordiarum Patrem
pro gentium salute,
pro temporum tranquillitate,
pro his fratribus (sororibus) nostris
quos (quas) hodie in familiam nostram recipimus.

b) in Missa primæ professionis:

Celebrantes, fratres dilectissimi,
paschale Christi mysterium
et istorum fratrum (istarum sororum)
professionis primordia,
ad Deum Patrem omnipotentem
per Iesum Christum, evangelicæ vitæ auctorem,
communes dirigamus preces.

c) in Missa professionis perpetuæ:

Gaudet hodie, fratres dilectissimi,
nostra spiritalis familia,
quod hi famuli (hæ famulæ) Dei, professione perpétua,
Christi et Ecclesiæ student impensius deservire;
ad Deum Patrem igitur,

a quo vocati6nis donum descēdit,
preces dirigāmus unānīmi.

d) in Missa qua vota renovantur:

Súpplīces, fratres dilectíssimi,
ad Deum Patrem dirigāmus preces
pro Ecclēsia sancta eius,
pro mundi pace et salúte,
pro nostra religi6sa família,
pro his frátribus (sor6ribus) nostris
qui (quae) sacra vota h6die renovārunt.

64. Intentiones

- I. Pro Ecclēsia sancta Dei:
ut fili6rum su6rum decorāta virtútibus,
Christo Sponso
fulgídior in dies eníteat,
D6minum exorēmus. *ꝛ.*

Pro Summo Pontífice ceterisque Episcopis:
ut Spírītus Sanctus, qui replévit Ap6stolos,
in e6rum success6res
incessabíliter défluat,
D6minum exorēmus. *ꝛ.*

Pro univ6rsis Ecclēsiæ minístris:
ut serm6ne et op6ribus
in salútem ducant p6pulum sibi commíssum,
D6minum exorēmus. *ꝛ.*

- II. Pro mundi pace et salúte:
ut religi6si omnes
Christi pacis præc6nes sint atque minístri,
D6minum exorēmus. *ꝛ.*

Pro universārum g6ntium bono:
ut omnes divíno servítio addícti,

cæléstia sectántes,
hóminum quoque proféctum
indesinéter fóveant,
Dóminum exorémus. ʀ.

Pro paupéribus et afflíctis:
ut divíni Magístri exémplo
religiósis cordi sit
páuperes evangelizáre,
infírmos curáre,
laborántibus subveníre,
Dóminum exorémus. ʀ.

Pro iis qui longe morántur a Deo:
ut omnes fílii beáti Domínici
donum a se accéptum
illis comunicándi sint sollíciti
et desidérium veritátis caritatísque Christi
in illis fóveant,
Dóminum exorémus. ʀ.

Pro cunctis Christi fidélibus:
ut arcánam Dei vocem
ad sanctitátem omnes invitántem
áuribus inténtis percípiant,
Dóminum exorémus. ʀ.

III. Pro univérsis religiósis:
ut eórum conversátio
futúri Regni signum exsístat præclárum,
Dóminum exorémus. ʀ.

Pro nostra Província (pro nostro Monastério;
pro nostro Institúto; pro nostra Fraternitáte):
ut mútuæ dilectiónis præcéptum
in ipsa (ipso) præfúlgeat,
ut sicut prístinis Iesu discípulis
nobis cor unum sit et ánima una,
Dóminum exorémus. ʀ.

Pro sodálibus Famíliæ Dominicánæ,
 ut vitam Ecclésiæ partícipent
 eiúsque incépta et propósita
 pro víribus fóveant,
 Dóminum exorémus. ƿ.

Pro sodálibus Famíliæ Dominicánæ,
 ut sicut quisque vocátus est
 Ecclésiæ sanctitátem adáugeat
 et regnum Dei stúdeat propagáre,
 Dóminum exorémus. ƿ.

Pro sodálibus Famíliæ Dominicánæ,
 ut Deo véluti spiritálem oblatiónem
 læto corde ófferant
 oratióem et stúdium,
 labórem et prædicatióem,
 huius vitæ gáudia et tribulatiónes,
 Dóminum exorémus. ƿ.

IV. Pro his frátribus (soróribus) nostris,
 qui (quæ) hódie divíno servítio
 árctius mancipántur:
 ut spíritum fratérnæ dilectiúnis
 et strénuæ erga omnes caritátis
 in ipsis fovére dignétur,
 Dóminum exorémus. ƿ.

Pro iis qui (quæ) evangélica consília hódie profiténtur:
 ut religiósa consecratió
 illam adáugeat sanctitátem,
 ad quam eos (eas) baptísmum vocávit,
 Dóminum exorémus. ƿ.

Pro his frátribus (soróribus) nostris,
 qui (quæ) hódie professiúnem religiósam
 Deo impénsius se devovérunt:
 ut eis assíduæ oratiúnis,
 álacris pæniténtiæ,

fervéntis apostolátus
amórem benígnus infúndat,
Dóminum exorémus. ƿ.

Pro his frátribus (soróribus) nostris *N.N.*,
qui (quæ) professióne religiósa
Christum préssius sequi conténdunt:
ut castitátem custodiéntes
Ecclésiæ fecunditátem osténdant;
paupertátem sectántes
egénis subvéniant;
obœdiéntiam præstántes
indóciles ad suave Redemptóris iugum addúcant,
Dóminum exorémus. ƿ.

Pro his soróribus nostris,
quæ hódie se Christo Dómino devovérunt:
ut, vírgines prudéntes imitátæ,
amóris et fídei lámpades
diligénter alant,
Dóminum exorémus. ƿ.

Pro his soróribus nostris,
quæ hódie sanctum firmárunť propósitum:
ut Sponsum vigilántes expéctent
et cum eo ad cæléstes núptias
mereántur admítti,
Dóminum exorémus. ƿ.

Pro his frátribus (soróribus) nostris *N.N.*:
ut ipsi (ipsæ), mundi lux et ferméntum effécti (efféctæ),
humánam societátem
virtútum fulgóre illúminent
et assídus rénovent précibus,
Dóminum exorémus. ƿ.

- V. Pro paréntibus et propínquis horum fratrum nostrórum
(harum sorórum nostrárum):
ut in suo itínere fídei

partícipes ipsi efficiántur
 oblatiónis atque missiónis filiórum (filiárum)
 et nova grátiae múnera accípiant
 ad suam ipsi vocatióem perficiéndam,
 Dóminum exorémus. Ɲ.

VI. Pro nobis ómnibus:
 ut divíni Magístri verba «Estóte perfécti»
 fidéliter amplecténtes,
 dignos sanctificatióis fructus exhibeámus,
 Dóminum exorémus. Ɲ.

65. Precationis conclusio

a) in initio novitiatus:

Tuére, Dómine, famíliam tuam
 et propitiátus concéde
 quod pro his frátribus (soróribus) nostris,
 primítias suæ donatióis tibi offeréntibus,
 concórdi exorávimus prece.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

b) in Missa primæ professionis:

Sanctitátis auctor, Deus,
 preces famíliæ tuæ cleménter exáudi,
 et, deprecánte beáta Virgo María,
 Órdinis nostri patróna,
 super hos fámulos tuos (has fámulas tuas)
 copiósam benedictiónem effúnde,
 ut quod, te donánte, promisérunt,
 te prosequénte, constánter adímpleant.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

c) in Missa professionis perpetuæ:

Ánnue, Dómine, précibus pópuli tui,
et intercedénte beáta Vírgine María,
Ecclésiæ matre et nostri Órdinis patróna,
super hos fámulos (has fámulas),
quos (quas) ad perféctam Christi sequélam
benígnus vocásti,
divínium Spíritum abundánter effúnde,
ut quod temporáli pígnore promisérunt,
perpétua devotióne confírment.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

d) in Missa qua vota renovantur:

Veritátis auctor et misericórdiæ Deus,
supplicatiónes pópuli tui benígnus exáudi,
et, intercedénte beáta Vírgine María, Órdinis patróna,
his fámulis tuis
perseverántiæ virtútem infúnde,
ut vota, quæ te donánte renovárunt,
te prosequénte constánter adímpleant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

III PRÆFATIONES

66. *In veritate sanctificati*

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grätias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui inter multos ad te in via Domínici gradiéntes
semper novos fratres et soróres addúcis.
Quos ergo, Pater, misericórditer in Fílio vocásti
et in tua veritáte sanctificáre voluísti,
ipse verbo salutis erudíre et ad salutem addúcere
sitiénti desidério conténdis,
fidei sacraméntis grátia perfúndis
et in unitáte consummáre
apostólica sátagis caritáte.

Unde et nos, Dómine, cum Ángelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exultatióne dicéntes...¹

67. *De apostolica vivendi forma*

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grätias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui, ad Ecclésiæ tuæ sanctæ decus muniménque præstándum,
apostolicam voluísti vivéndi formam
per beátum Domínicum renováre.

¹ Cf. MLOP, p. 293.

Ipse enim, Christum páuperem prosecútus,
evangélicæ veritatí mentes errántium
sua prædicatióne subiécit,
atque ánimas Christo lucrifécit innúmeras.

Fídei quoque præcónes sibi cómites sapiénter adiúnxit,
qui, supérnæ sciéntiæ lúmine roboráti,
evangelizatiónis óperi iúgiter deservírent.

Et ídeo cum Sanctis et Ángelis univérsis
te collaudámus, sine fine dicétes...²

68. *Evangelicæ veritatis prædicator eximius*

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui beátum Domínicum, veritatís tuæ præcónem,
de fóntibus Salvatóris altíssimis hauriétem,
sitiénti mundo próvide tribuísti.

Is enim, Genetrícis Fílii tui semper ope suffúltus,
salútis animárum zelo inflammátus,
offícium Verbi pro se suísque in Spíritu coadunátis suscípiens,
fídei púgiles ad salvándas gentes instítuit
et multos doctrína et exémplo ad Christum addúxit.

Tecum vel de te iúgiter loquens, sapiéntia profécit
et, actiόνem de plenitúdine contemplatiónis edúcens,
ædificándæ Ecclésiæ tuæ se totum impéndit.

Et ídeo cum Ángelis et ómnibus Sanctis,
glóriam tuam prædicámus, una voce dicétes...³

² Cf. MLOP, p. 177.

³ MLOP, p. 199.

69. *De vita religiosa ut servitio Dei per Christi imitationem*

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
 nos tibi semper et ubique grátias ágere,
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
 per Christum Dóminum nostrum.

Qui de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
 mundos corde dixit beátos
 suáque conversatióne dócuit castitátis fastígium.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
 et usque ad mortem pro nobis factus obóediens,
 hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offerre.

Qui ómnia propter te relinquéntes in terris
 ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius
 et cælórum confirmávit inventúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
 hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes ...⁴

70. *Sanctorum exemplum, consortium et subsidium*⁵

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
 nos tibi semper et ubique grátias ágere,
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui in Sanctórum concílio celebráris
 et eórum coronándo mérita, tua dona coronás.
 Qui nobis eórum conversatióne largíris exéplum
 et communióne consórtium et intercessiόne subsidiū;
 ut, tantis téstibus confirmáti,
 ad propósitum certámen currámus invícti

⁴ *Missale Romanum*, 1975², p. 767.

⁵ Cf. LCO, n. 67, § III.

et immarcescibilem cum eis coronam glóriæ consequámur,
per Christum Dóminum nostrum.

Et ídeo cum Ángelis et Archángelis,
cumque múltiplici congregatióne Sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicétes ...⁶

⁶ MLOP, p. 247.

IV

TEXTUS AD LIBITUM

A) LITANIÆ SANCTORUM IN PROFESSIONE PERPETUA

71. In professionibus Ordinis nostri numquam locum habuerunt Litaniae Sanctorum neque alia brevis supplicatio litanica. Nihilominus hic "Litaniae ritus professionis religiosae", prout hodie ab Ecclesia proponuntur (cf. OPR, I, n. 62; II, n. 67), ad libitum traduntur.

Apto autem loco — nominum Sanctorum in liturgia consueta successione servata — inseri possunt invocationes eorum Sanctorum, qui a professoribus vel a communitate peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliae petitiones addi possunt. In seligendis vero invocationibus sobrietas adhibenda est, pietatis simul ac simplicitatis causa.

In cantu adhiberi potest tonus Processionalis O.P. (pp. 127-131), vel qui invenitur in Officio Hebdomadae Sanctae O.P. (Romae 1965, pp. 256-258; 267-269), vel qui in appendice Missalis et Lectionarii O.P. (ed. 1985, pp. 519-526) exscriptus est.

72. Diaconus vel alius minister admonet:

Flectámus génua.

Mox sacerdos ante sedem suam genua flectit; professori (professurae) vero, secundum loci consuetudinem, vel procumbunt vel genua flectunt; ceteri quoque genua flectunt, exceptis tempore paschali et dominicis, cum omnes, exceptis professoribus, stantes remanent.

73. Tunc cantores (vel cantorissae) Litanias ritus professionis religiosae canunt, omnibus respondentibus.

Kýrie, eléison.

Kýrie, eléison.

Christe, eléison.

Christe, eléison.

Kýrie, eléison.

Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,

ora pro nobis

Sancte Míchaël,	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta	ora pro nobis
Sancte Ioseph	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule	oráte pro nobis
Sancte Andréas	ora pro nobis
Sancte Ioánnes	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna	ora pro nobis
Sancte Stéphane	ora pro nobis
Sancte Ignáti (Antiochéne)	ora pro nobis
Sancte Laurénti	ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felícitas	oráte pro nobis
Sancta Agnes	ora pro nobis
Sancte Gregóri	ora pro nobis
Sancte Augustíne	ora pro nobis
Sancte Athanási	ora pro nobis
Sancte Basíli	ora pro nobis
Sancte Martíne	ora pro nobis
Sancte Benedícte	ora pro nobis
Sancte Francísce	ora pro nobis
Sancte Pater Domínice	ora pro nobis
Sancte Thoma (de Aquíno)	ora pro nobis
Sancte Albérte	ora pro nobis
Sancte Martíne (de Porres)	ora pro nobis
Sancte Francísce (Xavier)	ora pro nobis
Sancta Margaríta (de Hungaríá)	ora pro nobis
Sancta Catharína (Senénsis)	ora pro nobis
Sancta Rosa (de Lima)	ora pro nobis
Sancta Therésia (de Ávila)	ora pro nobis
Sancti et sanctæ Dei	oráte pro nobis
Propítius esto,	líbera nos, Dómine
Ab omni malo	líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto	líbera nos, Dómine
A morte perpétua	líbera nos, Dómine
Per incarnatióem tuam	líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiόem tuam	líbera nos, Dómine
Per effusiόem Spíritus Sancti	líbera nos, Dómine

Propítius esto,

líbera nos, Dómine

- a) Ut Ecclesiæ vitam, famulórum tuórum
(famulárum tuárum)
oblatióne et apostolátu,
uberiorem præstáre dignéris, te rogámus, audi nos
- a) Ut in fámulo tuo Papa nostro *N.*
ceterisque Episcopis
Sancti Spíritus dona in dies
adaugére dignéris, te rogámus, audi nos
- b) Ut religiosórum vitam et óperam
ad humánæ societátis proféctum
ordináre dignéris, te rogámus, audi nos
- b) Ut univérsos hómínes
ad vitæ cristiánæ plenitúdinem
dúcere dignéris, te rogámus, audi nos
- c) Ut in ómnibus famíliis tibi dicátis
Christi caritátem et Fundatórum
spíritum conserváre et augére
dignéris, te rogámus, audi nos
- c) Ut omnes qui evangélica
profiténtur consília,
óperi Redemptiόνis plénius
adsociáre dignéris, te rogámus, audi nos
- d) Ut horum famulórum
(harum famulárum) paréntes
pro múnere quod tibi obtulérunt,
cælestibus donis
locupletáre dignéris, te rogámus, audi nos
- e) Ut hos fámulos tuos (has fámulas tuas)
Christo, primogénito in multis
frátribus, in dies
confórmare dignéris, te rogámus, audi nos

- e) Ut his fámulis tuis
perseverántiæ virtútem
donáre dignéris, te rogámus, audi nos
- e) Ut hos fámulos tuos, fratres nostros
(has fámulas tuas, soróres nostras)
benedícere et sanctificáre
et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos
- Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio
confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
- Ut ómnibus benefactóribus nostris
sempitérna bona retribuas, te rogámus, audi nos
- Ut óculos misericórdiæ tuæ
super nos reducere dignéris, te rogámus, audi nos
- Ut obséquium servitútis nostræ
rationábile fácias, te rogámus, audi nos
- Ut reguláribus disciplínis
nos instrúere dignéris, te rogámus, audi nos
- Ut mentes nostras ad cæléstia
desidéria érigas, te rogámus, audi nos
- Iesu, Fili Dei vivi te rogámus, audi nos
- Christe, audi nos
Christe, audi nos
Christe, exáudi nos
Christe, exáudi nos

74. Deinde tantummodo sacerdos surgit et, manibus extensis, dicit:

Ánnue, quæsumus, Dómine,
précibus pópuli supplicántis
et intercedénte Dei Genetríce María,

Órdinis nostri matre ac patróna,
 atque beáto Domínico, patre nostro,
 cælésti grátia
 famulórum tuórum (famulárum tuárum) corda dispóne,
 ut sacránda tibi péctora
 Sancti Spíritus ignis
 ab omni culpárum labe puríficet
 et caritátis ardóre veheménter accéndat.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Vel:

Ánnue, Dómine, précibus pópuli tui,
 et intercedénte beáta Vírgine María, Ecclésiæ matre
 Ordinísque nostri patróna benevolentíssima,
 ac beáto Domínico, patre nostro,
 super hos fámulos (has fámulas)
 quos (quas) ad perféctam Christi sequélam benígnus vocásti,
 dívínium Spíritum abundánter effúnde,
 ut quod temporáli pígnore promisérunt,
 perpétua devotióne confírment.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Vel:

Sanctitátis auctor, Deus,
 preces famíliæ tuæ cleménter exáudi
 et, deprecánte Ancílla tua Ordinísque nostri Matre Virgo María
 ac précibus beáti Domínici, patris nostri,
 super hos fámulos tuos (has fámulas tuas)
 copiósam benedictiónem effúnde,
 ut quod, te donánte, promisérunt,
 te prosequénte, constánter adímpleant.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes adstantes: Amen.

Diaconus: Leváte.

Et omnes surgunt.

B) SOLLEMNIS BENEDICTIO
SEU CONSECRATIO NUPER PROFESSORUM

75. Religiosi (vel religiosæ) nuper professi (vel professæ) genua flectunt et Prior vel sacerdos, manibus super eos (eas) extensis, dicit benedictionis precem iuxta formularia hic posita, in quibus verba uncis inclusa pro opportunitate omitti possunt.

76. a) pro Fratribus:

Deus, omnis sanctitatis fons et origo,
hómines a te creatos ita dilexisti
ut divinæ naturæ consórtes effíceres;
quod tuæ bonitatis consílium
nec Adæ peccátum exstinguere
nec mundi crímina valuérunt mutáre.
[Étenim témporum primórdiis
nobis Abel præbuísti
innocéntis conversatiónis exémpLAR;
ex dilécta autem Hebræórum plebe
sanctos deinceps viros próvide suscitásti
omníque virtúte præcláras mulíeres,
in quibus Sion éminet Fília,
sanctíssima semper Virgo María,
cuius de castis viscéribus
Verbum tuum pro mundi salúte incarnátum procéssit,
Iesus Christus Dóminus noster.
Qui a te, Pater, forma sanctitatis efféctus,
ut nos ditáret se fecit egénúm
servíque vestem índuit
ut nos rédderet libertáti].
Mystério autem pascháli
mundum ineffábili caritáte Christus redémit
suámque sanctificávit Ecclésiám,
cui a te, Pater, Spíritus dona proméruit.
Tu enim, voce suggerénte Parácliti,
ad Christi sequélam
innúmeros filios attraxísti

qui, relíctis ómnibus,
 suávis nexi vínculis caritátis
 tibi fervénti adhærérent ánimo
 cunctísque frátribus deservírent.

Réspice ergo, Dómine, super hos fámulos tuos,
 quos supérna providéntia vocásti,
 et emítte in eos Spíritum sanctitátis,
 ut quod, te donánte, læti promiserunt,
 te adiuvánte, fidéles adímpleant.
 Divíni Magístri exémpla
 studiósè intueántur,
 imiténtur assídue.

Per obœdiéntiam consentiéntes,
 per castitátis disciplínam amóre sociáti altióre,
 per paupertátem árctius ab ínvicem dependéntes,
 Ecclésiám Dei, ópera sua in mundo dilatándam,
 in própria communitáte prius ædíficent.⁶
 Sint in tribulatióne patiéntes,
 in fide stábiles,
 spe gaudéntes,
 caritáte apostólica fervéntes.
 Eórum conversátio Ecclésiám lætíficet,
 mundi salútem promóveat
 ac bonórum cæléstium signum exsístat præclárum.

Dómine, sancte Pater, his fámulis tuis
 sis munímen ac régimen,
 et cum ad Fílii tui tribúnal pervénerint,
 sis merces et præmium:
 ut devotiónis suæ múnera adimplésse læténtur
 et, in tua caritáte firmáti,
 Sanctórum fruántur consórtio
 cum quibus perpétuum tibi honórem retríbuant.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

⁶ Cf. LCO, n. 3, § II.

Vel:

Deus, per quem Ecclésia tua sanctificáta viréscit,
te decet laus omnis creatúræ.
Tu, enim, témporum exórdio
lætábilem mundum creásti;
qui, cum Adæ peccáto collápsus iacéret,
novum cælum novámque tellúrem futúra promísisti.
Terram autem homínibus commísisti,
ut suo fecundárent labóre
et per eius percurrentes vias
ad cælestem civitátem gressus dirigerent.
Fíliis autem tuis, quos sacris initiátos mystériis,
in sanctam congregásti Ecclésiam,
vária charísmatum dona distríbuis,
ut sint qui in casto connúbio tibi desérvant
quique núptiis propter regnum cælórum renúntient,
bona cuncta cum frátribus commúnicent
ac tanta ínvicem díligant caritáte,
ut, cor unum effécti,
societátis ætérnæ præstent imáginem.

Súplices ergo rogámus:
de cælis emítte Paráclitum
super hos fámulos tuos
qui Christi verbis fide adhæsérunt constánti.
Eórum róborá mentes,
ad Evangéllii doctrínam vitam confórma.
Férveat in eis, Dómine, mútua cáritas
hominúmque flagret stúdiúm,
ut signum exsístant maniféstum
te unum esse Deum verum
cunctósque hómines infiníto amóre díligere.
Fac, Dómine, ut huius vitæ certámina
fórtiter sustinéndo
céntuplum iam nunc, quod promísisti, accípiant
palmámque tandem cónsequi mereántur ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

77. b) pro Monialibus:

Deus, omnis sanctitatis fons et origo,
 homines a te creatos ita dilexisti
 ut divinae naturae consortes efficeres;
 quod tuae bonitatis consilium
 nec Adae peccatum exstinguere
 nec mundi crimina valuérunt mutare.
 Verbum tuum pro mundi salute ineffabili caritate donasti,
 Iesum Christum Dominum nostrum,
 ex Maria Virgine incarnatum.
 Qui a te, Pater, forma sanctitatis effectus,
 ut nos ditaret se fecit egenum
 servique vestem induit ut nos redderet libertati.
 Mystério autem paschali
 mundum pretioso sanguine Christus redemit
 suamque sanctificavit Ecclesiam,
 cui a te, Pater, Spiritus dona promeruit.
 Tu enim, voce suggerente Paracleti,
 ad Christi sequelam innumeros filios attraxisti
 qui, relicti omnibus,
 suavibus nexi vinculis caritatis
 tibi ferventi adhærerent animo
 cunctisque fratribus deservirent.

Réspice ergo, Dómine, super has famulas tuas,
 quas supérna providéntia vocásti,
 et emítte in eas Spíritum sanctitatis,
 ut quod, te donánte, lætæ promisérunt,
 te adiuvánte, fidéles adímpleant.
 Divíni Magístri exémpa
 studiósè intueántur,
 imiténtur assídue.

Per obcædiéntiam consentiéntes,
 per castitátis disciplínam amóre sociatæ altióre,
 per paupertátem árctius ab ínvicem dependéntes,
 Ecclesiám Dei, sui ipsíus oblatióne in mundo dilatándam,
 in próprio monastério prius ædíficent.⁷

⁷ Cf. LCM, n. 3, § II.

Sint in tribulatióne patiéntes, in fide stábiles,
spe gaudéntes, caritáte fervéntes.
Eárum conversátio Ecclésiam lætíficet,
mundi salútem promóveat
ac bonórum cæléstium signum exsístat præclárum.

Dómine, sancte Pater,
famulárum tuárum miséricors dírige gressus
et iter defénde benígnus ;
quæ cum demum pervénerint
ad summi Regis tribúnal,
non Iúdicis verba pavéscant
sed Sponsi vocem percípiant
suáviter ad núptias cæléstes vocántis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Vel:

Deus, per quem Ecclésia tua sanctificáta viréscit,
te decet laus omnis creatúræ.
Tu, enim, témporum exórdio
lætábilem mundum creásti;
qui, cum Adæ peccáto collápsus iacéret,
novum cælum novámque tellúrem futúra promísisti.
Terram autem homínibus commísisti,
ut suo fecundárent labóre
et per eius percurréntes vias
ad cæléstem civitátem gressus dirígerent.
Fíliis autem tuis, quos sacris initiátos mystériis,
in sanctam congregásti Ecclésiam,
vária charísmatum dona distríbuis,
ut sint qui in casto connúbio tibi desérviant
quique núptiis propter regnum cælórum renúntient,
bona cuncta cum frátribus commúnicent
ac tanta ínvicem díligant caritáte,

ut, cor unum effécti,
societátis ætérnæ præstent imáginem.

Súpplices ergo rogámus:
de cælis emítte Paráclitum
super has fámulas tuas
quæ Christi verbis fide adhæsérunt constánti.
Eárum róborá mentes
et ad Evangéllii doctrínam vitam eárum confórma.
Férveat in eis, Dómine, mútua cáritas
hominúmque flagret stúdiúm,
ut signum exsístant maniféstum
te unum esse Deum verum
cunctósque hómínes infiníto amóre dilígere.
Fac, Dómine, ut huius vitæ certámina
fórtiter sustinéndo
céntuplum iam nunc, quod promisísti, accípiant
palmámque tandem cónsequi mereántur ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

78. c) **pro Sororibus:**

Deus, omnis sanctitátis fons et orígo,
hómínes a te creátos ita dilexísti
ut divínæ natúræ consórtes effíceres;
quod tuæ bonitátis consílium
nec Adæ peccátum exstínguere
nec mundi crímína valuérunt mutáre.
Verbum tuum pro mundi salúte ineffábili caritáte donásti,
Iesum Christum Dóminum nostrum,
ex María Vírgine incarnátum.
Qui a te, Pater, forma sanctitátis efféctus,
ut nos ditáret se fecit egénúm
servíque vestem índuit ut nos rédderet libertáti.
Mystério autem pascháli

mundum pretioso sanguine Christus redemit
suamque sanctificavit Ecclesiam,
cui a te, Pater, Spiritus dona promeruit.
Tu enim, voce suggerente Paracleti,
ad Christi sequelam innumeros filios attraxisti
qui, relictis omnibus,
suavibus nexi vinculis caritatis
tibi ferventi adhererent animo
cunctisque fratribus deservirent.

Réspice ergo, Dómine, super has famulas tuas,
quas supérna providéntia vocásti,
et emítte in eas Spíritum sanctitátis,
ut quod, te donánte, lætæ promisérunt,
te adiuvánte, fidéles adímpleant.
Divíni Magístri exémpła
studióse intueántur,
imiténtur assídue.
Per obædiéntiam consentiéntes,
per castitátis disciplínam amóre sociátæ altióre,
per paupertátem árctius ab ínvicem dependéntes,
Ecclesiam Dei, oblatiône sua in mundo dilatándam,
in própria communitáte prius ædíficent.⁸
Sint in tribulatióne patiéntes, in fide stábiles,
spe gaudéntes, caritáte operántes.
Eárum conversátio Ecclesiam lætíficet,
mundi salútem promóveat
ac bonórum cæléstium signum exsístat præclárum.

Dómine, sancte Pater,
famulárum tuárum miséricors dírige gressus
et iter defénde benígnus ;
quæ cum demum pervénerint
ad summi Regis tribúnal,
non Iúdicis verba pavéscant

⁸ Cf. LCO, n. 3, § II.

sed Sponsi vocem percípiant
suáviter ad núptias cæléstes vocántis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Vel:

Deus, per quem Ecclésia tua sanctificáta viréscit,
te decet laus omnis creatúræ.
Tu, enim, témporum exórdio
lætábilem mundum creásti;
qui, cum Adæ peccáto collápsus iacéret,
novum cælum novámque tellúrem futúra promisísti.
Terram autem homínibus commisísti,
ut suo fecundárent labóre
et per eius percurréntes vias
ad cæléstem civitátem gressus dirígerent.
Fíliis autem tuis, quos sacris initiátos mystériis,
in sanctam congregásti Ecclésiam,
vária charísmatum dona distríbuis,
ut sint qui in casto connúbio tibi desérvant
quique núptiis propter regnum cælórum renúntient,
bona cuncta cum frátribus commúnicent
ac tanta ínvicem díligant caritáte,
ut, cor unum effécti,
societátis ætérnæ præstent imáginem.

Súpplíces ergo rogámus:
de cælis emítte Paráclitum
super has fámulas tuas
quæ Christi verbis fide adhæsérunt constánti.
Eárum róborá mentes,
ad Evangéllii doctrínam vitam confórma.
Férveat in eis, Dómine, mútua cárítas
hominúmque flagret stúdiúm,
ut signum exsístant maniféstum

te unum esse Deum verum
cunctósque hómines infiníto amóre dilígere.
Fac, Dómine, ut huius vitæ certámina
fórtiter sustinéndo
céntuplum iam nunc, quod promisísti, accípiant
palmámque tandem cónsequi mereántur æténam.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

V

DECLARATIO ET PROTESTATIO

PRO ADMISSIONE AD ORDINEM VEL AD INSTITUTUM

79. Formula quæ sequitur (LCO, *App.*, p. 235),⁹ initio novitiatus adhibita, ante professionem, et primam et sollemnem seu perpetuam, denuo adhibeatur.

Declarámus tibi
quod post professionem tuam obligáveris ad tria vota,
obœdiéntiæ, scilicet, castitátis et paupertátis.
Item quod tenéberis ad observántiam legum Órdinis
(*vel*: Institúti);
et însuper, quod proféssio tua erit nulla
si súbdole áliquod grave impediméntum
aut gravem deféctum sanitátis tacúisses vel dissimulásses,
propter quem fuísses mérito reiciéndus (*vel*: reiciénda).

Protestámur étiam tibi
quod nihil mercédis repétere póteris
ob quamcúmque óperam Órdini (*vel*: Institúto) præstitam.

N.N., O.P.
prior / priorissa

N.N.
(candidatus / a)

N.N., O.P.
testis

N.N., O.P.
testis

⁹ Hic textus aptandus est iis attentis quæ in iurisprudencia uniuscuiusque regionis caventur.

VI

FORMULA ABSOLUTIONIS GENERALIS

DE TRANSGRESSIONIBUS REGULÆ PRO SODALIBUS FAMILIÆ DOMINICANÆ

80. In festivitibus Ordinis vel die quarta Cinerum vel capitulo sollemni expleto (diebus 24 decembris et 24 martii) vel in fine exercitiorum spiritualium vel alia opportunitate, sodales Familiæ Dominicanæ indulgentiam plenariam acquirere possunt, consuetis condicionibus, per absolutionem generalem de transgressionibus regulæ. Hac absolutionis formula uti possunt Prior vel Priorissa in sua communitate, vel Adsistens (religiosus seu religiosa) aut Prior seu Priorissa in Fraternitate S. Dominici: qui omnes nomine "Prioris" hic infra indicantur.

81. Pro monitione initiali, Prior hæc vel similia dicere potest:

Fratres (soróres),
voluntáte sancti patris Domínici,
transgressiónes legum Órdinis non ad culpam deligábant,
sed ad pœnam tantum.¹⁰
Ne autem huiúsmodi dispositio disciplínam relaxáret,
Domínicus, "si quem vidébat fratrem in áliquo delinquéntem,
quasi non vidéret pertransíbat,
sed póstea plácido vultu et blandis verbis dicébat:
«Frater, tu male fecísti, confitére»;
et benígnis verbis omnes ducébat ad confessiónem pœniténtiæ.
Et licet cum humilitáte verbórum
gráviter puniébat excéssus eórum,
tamen consoláti ab eo recedébant".¹¹

¹⁰ *I Const., Prol.*

¹¹ *Acta canoniz. S. Dominici, Proc. Bonon., n. 32, MOPH XVI, p. 150.*

Tali admonitióne permóti (permótæ),
 sicut líberi sub grátia constitúti.¹²
 humíliter agnoscámus transgressiões
 quas contra régulam et institutiões
 et contra præcépta superiórurum commísimus,
 quo alácrius in via Domínici ambulémus
 eiúsque caritáte in veritáte perficiámur.

Tunc fit discussio conscientiae secreto; qua expleta hæc precatio dicitur ab omnibus, Priore incipiente:

Dan 3,29-30.42-43

Dómine, iníque égimus recedéntes a te
 et delíquimus in ómnibus,
 et præcépta tua non audívimus nec observábimus,
 nec fécimus sicut præcéperas nobis
 ut bene nobis esset.

Sed fac nobíscum iuxta mansuetúdinem tuam
 et secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ.
 Et érué nos in mirabílibus tuis
 et da glóriam nómini tuo, Dómine.

℣. Kýrie eléison.

℟. Christe eléison.

℣. Kýrie eléison.

Pater noster.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratióne meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

¹² Cf. *Regula*, n. 8, p. 19.

Deinde Prior dicit:

Dóminus noster Iesus Christus
per mérita suæ sacratíssimæ Passiónis
et per intercessiónem beátæ Mariæ Vírginis,
beáti Domínici patris nostri et ómnium Sanctórum Órdinis,
vos absólvat ab omni vínculo delictórum
et grátiam suam vobis infúndat.

Et ego auctoritáte ipsíus
et beatórum Apostolórum Petri et Pauli
et Summórum Pontíficum,
Órdini nostro ac vobis concéssa
et mihi in hac parte commíssa,
absólvo vos a transgressiónibus Régulæ, Constitutiónum,
ordinatiónum et admonitiónum maiórum nostrórum,
et ab ómnibus pæniténtiis oblítis seu étiam negléctis.
In nómine Patris, ☩ et Fílii, et Spíritus Sancti.¹³

℟. Amen.

¹³ Cf. SCR, *Formula Absolutionis generalis Regularium in posterum adhibenda*: ASOP 38, 1968, pp. 573 sq.